




DE
TRA
NES
p.





3.

DN. NIC. CHRISTOPH.
LYNCKERI

AD

INSTITVTIONES
POLITICAS

JO. HENRICI BOECLERI,

Notæ subitaneæ:

QVIBVS VIA

AD

PRVDENTIAM IVRIS PVBLICI

TVTA MAGIS REDDITVR.

JENÆ,

apud JO. BIELKIVM

CID IDC XCVI.

DR. NIC. CHRISTOPH.

LEICHTER

INSTITUTIONES

POLITICAS

JO. HENRICI BOECKLERI

Notae Additiones:

QUIBUS VIA

AD

PRUDENTIAM JURIS PUBLICI

PER MAGIS RUDOLPHUM

LEICHTER

MDCCXXIII



tan
scie
adh
Civ
cen
sive
run
Par
(Q
dur
scie
esca
sua
dat
Pol
qua





A D

P R O O E M I U M.

SUB PRAECEPTIS DECRETA
 QUOQUE COMPLEXI.) Sicut
Theorica disciplinae absque
Exemplis non rectè capiun-
 tur: ità nec *Practica*. *Ha-*
rum verò exempla non
 tantùm ad naturam rerum sive notionem &
scientiam, ut in theoricis seu contemplativis,
 adhibentur; ut quando dicimus: hanc esse
 Civitatem, esse Monarchicam: hunc du-
 cem belli, &c. verùm etiam ad actiones ipsas
 sive praxin & *Usum* disciplinae; adeoq; ad re-
 rum constitutarum exercitium: quæ quidem
 Pars Disciplinarum Practicarum propria est.
 (Quanquam *Pars* quoque *Prior* practica sit,
 dum pro fine quidem propiori & immediato
scientiam habet; nec tamen ut in eâ acqui-
 escat, sed ut dehinc ad finem perfectionis
 suæ, qui praxis est, sive *ad agendum*, perten-
 dat. Quâ ratione *Scientia* quoque *nomen*
Politicae non nisi in sensu *latiori*, prout
 quamlibet notitiam designat, tribui potest.)

A 2

Equi-

Equidem *Aristotelici* Partem istam *priorem* Politices *Architectonicam* sive *Legislatoriam* vocant, quæ nimirum *de Republicâ constituendâ* agat: nec minùs tamen hæc *actiones* eò pertinentes respicit; *Posteriorem* verò *Consultativam*, quæ ad *constituta* scilicet *Reipublicæ* administrationem dirigitur, & *Præxin* actionum in hanc partem incurrentium continet. *Prior* ordinata magis & *universalis* ac *stabilis* est: *Posterior* variè agitur & in *singularia* magis distribuitur. Utrobique *Exempla* sunt: & *prior* itaque per inductionem exemplorum à *posteriori* procedit; saltem quod varietatem specierum & distinctionem earundem concernit. Cæterum quod in *priori* *Decreta* sunt, seu notitiæ, theoriæ, Definitiones & Dogmata; generalia & communia magis. Id sunt in *posteriori* *Præcepta* Monita, Regulæ, Axiomata; quorum intellectui *parte priori* prospicitur: eaque propiùs ex varietate actionum educta & stabilita.

P.3. RATIO HONESTORUM.) *Prudentia moralis*, seu *Ethica*, quam *Peripatetici* in oppositione ad *Civilem* (quæ unâ cum *Prudentiâ Judiciariâ, publicæ* ambitû absolvit,) *privatam* appellant, præcipuè habet rationem *honestatis*, & virum *bonum* efficere studet; ut *privatum* tamen, non ut *civem*. Et licet
 Poli-

Politicus *utilitatem* veram non obtineat, quando eam arripit, quæ ab honesto abscedit. Sunt enim sola *bona* quæ *honestâ* (vid. Bœcler. p. 14. seq. qui locus exhinc quoque *emendandus* est.) Tamen præcepta *honesti* ipsum ex *Philosophiâ morali* sive *Ethicâ* desumere oportet: eaque præcepta ipsum hæcenus *dirigunt*, atque à *Politico præmittuntur*, naturæ & doctrinæ ordine; quippe quòd *Philosophia moralis* seu *Ethica* sit *Disciplina* seu *Pars Philosophiæ Practicæ communis*. Vicissim *Ethica* vult, hominem obtemperare debere *Legibus* civitatis; sed non ut inde sit *vir bonus*; sed ut *civis bonus* audiat, seu *officium* boni *Civis* obeat: indeque *Iustum* se præbeat ergà *alios*, ut *per se Virtuosus* haberi potest. Proinde *Ethicus* examinat *Leges* Civitatis secundùm *honestatem*, an cum eâ convenient. *Civis* verò *legibus* civitatis *simpliciter* obtemperat, quatenus à *Majestate* ipsi præscriptæ sunt. Quâ ratione in *Rep. corrupta* *vir bonus* à *cive bono* evidenter distinguitur. Enimverò ad *Ethicam*, quoad *primariam Directionem* magis respicit *Jurisprudencia*: quæ quidem sicut æquè ut *Politica*, respectum magis *publicum* tenet: ita cultum majorem impendit *æquitati* actionum expendendæ, nec solum in *justitiâ communi* acquiescit, sed & *pro-*
A 3 *priam*

priam, h. e. illam, quæ ex positione & *arbitrio hominum* procedit, quàm maximè curat: indeque à *Philosophia morali*, (quæ unicè *honestatem ex ratione communi* educit, atque Civi rationem *obsequii* simpliciter ac in genere, sive *abstractè* à *Legibus singulis*, eorumque *intellectu*, commendat, neque *vim* aut potestatem *externam* adhibet,) distincta planè habenda est. Non aliter *Jurisprudentia*, Politicus quoque objectum suum, sive *formale objecti sui*, h. e. *utile civitatis*, supponit; quod tamen illò modò *Jurisprudentiæ* in partem *materialis objecti* venit; sive in id, quod in objecto ejus *materiale* est: quin & suâ ratione in *finem* aliquem *communem* illabitur; ut nempe tunc *Juris* utile istud *prudentiâ* suâ promovere studeat in *Lege ferendâ*, si id ipsum deprehendat *justitiæ* quoque seu *æquitati* consentaneum, aut saltem *non injustum*, vel *æquitati non adversum* esse.

ARISTOTELES NIHIL ADMISCUERIT QUÆSTIONI UTILITATIS.) Rectè quidem. Et tamen ille semper *honestatem* ante oculos habuit. Nempe *Civilis Prudentia* seu *Politica* perfectionem suam ex solâ quæstione *utilitatis* sortitur. *Machiavellus* autem spernit *honestatem*, undecunque agnitam. Sed hoc non fit *disciplinæ* vitio. Nam & *Auctor* eò ipsò quòd *honestatem Jurisprudentiæ universali*

sali acceptam fert: non erit illa *Politici* argumenti. Quòdque *Bæclerus* de *Theologiâ* monet, illam cum *Politicâ* confundendam non esse; nec tamen posse exerceri *Politicam*, nisi à *Theologiâ* præsidium mutuetur: idem non minùs de *Studiò honestatis*, sive *Ethicò* sive etiam *Juridicò*, dicere debebat.

JURISPRUDENTIAM UNIVERSALEM SOCIA-
RE.) Imò *Jurisprudentia universalis* nequaquam cum *Politicâ* confundi debet. Licet enim idem habeat *objectum materiale* cum *Politicâ*; *actiones* videlicet *civium*, imò etiam *latius*: cum non tantùm ad *actiones civis* quàm talis est, verùm etiam quàm *homo* est, adeoque ad *actiones morales* præcisè tales, cum primis etiam ad *Jus Naturale & Gentium* extrà civitatem, porrigatur. Tamen *ratio formalis* eam à *Politicâ* distinguit: quòd hæc utilitatem, quàm *talis* est, unicè sectetur. Quòd verò id, quod in universum *utile* est civitati, idem quoque *honestum* sit, illud tantùm ex consequenti verum est; non formaliter. Estque tantùm *honestum* quoad *Remp. illam*, eò ipsò quòd *toti communitati* expediat. Et tamen idem potest comparativè ad Superiora *Jura* sive *communia*, ab æquitate sive *justitiâ* deviare; saltim ut non positivè, sed solum *negativè* *justum* sit.

AD JUDICIARIAM.) Fallitur *Auctor*. Nam prudentia *Judiciaria* non absolvitur Jure tantum *civili*; sed Jus potius *universum* complectitur, in actionibus *privatis & publicis*; indeque frustra ille Jurisprudenciam *Universalem* Jctis subducit & *Politicis* adscribit.

ELOQUENTIAM UT INSTRUMENTUM.) Non est *pars Politices, Oratoria*; ut nec Studium *Historiarum*. Sed hæc sunt istius *adminicula*. Sic & cognitio *Juris Civilis* ejusdem Pars non est: neque etiam *Juris Civilis* prudentiâ absolvitur illa, quam *Judiciariam* appellamus; quod antè monuimus: quin potius Naturæ quoque Jus & Gentium complectitur.

AFFINEM DISCIPLINAM.) *Legislative & Consultative* Prudentiæ nomina tribuuntur *Politice*: *Judiciarie* nomen Jurisprudenciæ; ab *objecto* scilicet *materiali*. Interim Jurisprudencia etiam occupatur in *Legibus ferendis*, ut & in *Consiliis*; adeoque in *objectis* quoque *Civilis Prudentiæ* sive *Politice*. Vicissim *Politicus* versatur non minus in *Judiciis*: ut *nomina* illa Prudentiarum misceri ad utramque Disciplinam possent; nisi oporteret, ut formalibus *objectis* discernuntur, ita quoque illas nominibus distinguere. Videlicet *Judiciaria* dicitur, quod secundum honestatem & æquitatem, de *quibuslibet actionibus* humanis judicet. DE

DE JURE BELLII.) Quod *Justum* est universaliter, id non omne potest referri ad *Pacem & Bellum*, licet possit ad *Statum Pacis & Belli*. Et tamen hi respectus adæquati non sunt, ad *integritatem Juris communis* constituendam; indeque etiam imperfectio *Operis Grotiani* procedit: quod & prætereà magis ad *publica*, sive *Jus publicum Universale*, non ita ad *Jus universale privatum*, (quod tamen fieri in complexu *Juris communis* omninò debuit,) directum est.

CHRISTIANO.) Quamvis *rationi* oporteat primas deferre in *Politica*; eò quòd Pars illa *Philosophia* sit. Tamen hætenùs sequi *rationem* oportet nos, qui *revelationem verbi Dei* habemus, ne quid admittamus, quod *divinæ voluntati* adversum est, quoties ad usum *rationis* pervenitur. Siquidem *ratio* nostra, prout sibi relinquitur, non integra amplius, sed *corrupta* est; ut *lumen* ad eò *rectum*, seu *rectitudinem luminis*, eam mutuare oporteat ex *Dictamine verbi Divini*: quò ad *integritatem primævam*, quæ fieri potest, deducatur. (*vid. p. 10. 15. 16.*) Quid etiam quòd *moralia Jura Divina* ex *voluntate Dei*, eaq; *revelatâ*, unicè pendeant, (*secus atque naturalia.*) At verò hæc eò ipsò *rationi humanæ* perspecta non sunt, nec

ab eâ suppeditari possunt; & tamen ea sequi, vel saltim non ab his deviare *Politicam* omninò oportet.

P. 6. ΤΕΧΝΟΛΟΓΟΤΜΕΝΟΙΣ.) Imò verò si quis terminis *artis* seu *technicis* utatur, ille longè rectiùs percipitur: neq; metuendum est, ut per *vagas* verborum *promiscuorum* formulas modosque is qui *docet*, incertitudinem sententiæ suæ, quod sæpè solitus est *Bæclerus*, & solent *alii*, obtegat: cùm quidem is, qui terminis *accuratis* iisque *agnitis* utitur, intelligi, ejusque doctrina, quid sentiat, percipi faciliùs & accuratiùs dijudicari possit.

SCHOLAE.) Quin imò Tractatio hæc *Theoretica* facit, ut deinde solidiùs in *Praxi* rem gerere queamus: itaque neglectâ illâ etiam hæc ipsa vitium patitur.

LIBER I.

CAPUT I.

De

Civitate & Republicâ.

P. 9. RUDE CORPUS.) Equidem Civitas *materialiter* accepta dicitur *informis*, ratione *pacti* *ulterioris*. Per se enim *formam* *Civitati* debitam, ex *pacto*, *primigenia* *sociali*

fociationis pacificæ, & *æqualitatis* omnimoda, habet. Sed nec dum habet formam *Reipublicæ*; neque *Magistraticæ*, neque *Majestaticæ*: adeoque concipi potest sinè Republicâ: cùm *Respublica* concipi sine *Civitate* non possit. Igitur *Respublica Imperium*, quoddam, id est *ordinem* imperantium ac parentium, innuit. *Civitas* v. *Imperiô* ejusque ordine vacat.

QUARUNDAM GENTIUM) à *Gentium moribus*, licet moratæ sint, non oportet petere *Jus Gentium à priori*. Nam ita solùm pendet à *ratione*: utut possit peti exinde à *posteriori*, ut arguamus sc. causam ex effectibus.

FINGUNT.) Hypothesis *Hobbesii*, quâ talis & *Auctori suo* tribuenda, supponitur ab *ipso* ut vera: à *Pufendorffio* ut ficta, quò exinde doctrinas suas *Juris Communis* uterque deducat. Nam & *Pufendorffius* supponit investigationi *Juris naturalis* ferinum statum. Nobis *status naturalis* est, quò nec dum *jure Civili* quid circà actiones hominis dispositum est. Nec tamen protinùs à *Jure naturali* procedit, quod in eò statu obtinuit. Hinc illa, quæ in *statu naturali* obtinuerunt, potuere mutari per *Jus Civile*; sed non illa, quæ obtinuerunt *Jure naturali*. (quippe quòd hoc consentaneum sit *Legi Dei æternæ*, quæ *immutabilis* est.) Hinc rectè dicitur, servitutes, vena-

venationes & quæ his familia sunt,) esse *Juris naturalis negativè*, h. e. non sunt ea contra Jus naturale; nec tamen ipsa *Juris naturalis* sunt. Et sic se habent omnia *Jura positiva, Gentium & Civilia*: quæ idcirco non rectè dicuntur *Juris naturalis positivè*.

C A P. II.

De

Societate Conjugali.

P. 16. **A**RTEM ACQUIRENDI.) At verò hæc cum aliis, quæ ad *felicitem privatam Domus* pertinent, ad *Oeconomicam*, ceu *disciplinam peculiarem*, referenda sunt.

UNIUS VIRI.) Perperam! rectiùs viri & mulieris, idque ad *Sexum* denominandum. Quâ ratione *naturaliter* fieri potest, ut *unus vir* cum *pluribus mulieribus* habeat matrimonium; æquè ut cum quolibet ex *Liberis Pater* habet *paternam*, & cum quolibet *Servo Dominus* herilem Societatem.

COMPARATIONEM DESPONSATIONIS CHRISTI.) Cavendum est, ne comparatio illa, quæ quidem per se *Scripturæ* convenit, extendatur cum *Pontificiis* eò, ut inde *omnimodam indissolubilitatem* constituamus. Pontificii enim non admittunt divortium quoad *vinculum*.

culum: & tamen simile non per omnia simile est.

ANIMALIA.) Nam hæc ducuntur à naturâ seu *appetitu sensitivo*: & hinc non habent matrimonium, quia honestate vacua est ipsorum conjunctio. Videlicet impulsu aguntur bruta, non ratione: Rem habent, non rei modum: materiale habent; non etiam formale. Idem occurrit in *actibus* aliis, quibus se tuentur, seu *individua* sua; quin & *speciem* suam propagant. Homo verò ducitur naturâ suâ *intelligente* & *appetitu rationali*. Proinde malè hîc intelligunt alii præcisè *naturam naturantem* seu Deum. Ipsa verò *societas* in genere, & quoad instituta sua, pendet à natura *naturante*, & non minùs in brutis ex lege æternâ Dei: ut tamen, quâ hominem, admittat in obsequente *rationem*, & hoc ipsò in moralitatem ac *justitiam* actionum invalescat.

HORUM CONSENSUM REQUIRI.) *Con-P.17.*
sensus Parentum non requiritur, ut *validitatem* actui conciliet: siquidem neglectò eò nuptiæ valent nihilominùs, & *substantialiter* perfectæ sunt; pariter atque inter liberos, quorum parentes jam vivis excessère, matrimonia validè ineuntur. Requiritur enim consensus ille ad hoc, ut liberi non dicantur *peccasse* contra reverentiam, parentibus in re tanti momenti debitam. Ju-

JUSTINIANUS.) Imò ille tantùm dicit, quòd id *suadeat* ratio naturalis : Sed *necessitatem* omnem *validitatis* à *Civili* jure, familiarum, deducit, & ut inde *potestas Patria*, quà *civilis* est, vigorem suum consequatur.

CIRCA VOTA LIBERORUM.) A *votis* tamen liberorum ad *nuptias* minùs rectè infertur.

MATRIS.) Equidem *Politica* consensum hunc exigit eatenùs, quatenus imperium *matris* in aliis quoque, deficiente patre, imminet liberis ; sed *Jus Civile* illum non exigit. Saltem quoad *statuta* nonnulla secus est.

P.18. CANONISTAE.) Sed hoc nullibi *Canonistæ* tradunt.

ACCESSERIT DOLUS.) Rectiùs dicitur : nisi in *conditionem* divitiarum deductæ fuerint : nam conditio, etiam circà *accidentia*, consensùs matrimonii *substantiam* suspendit.

DOLUS.) Is quidem circà *accidens* aliquod in contractibus, ubi scilicet de *re promercali* agitur, attendi potest ; sed non etiam in actu hoc, (uti perperam *Auctor h. & pag. seq. 19.*) ubi de traditione *personæ suæ* negotium est. Quid verò de errore *Nobilitatis* statuendum sit, ex *Analectis ad Desselii Jus Can.* satis constare potest.

JURIS CANONICI DOCTORES.) Sed non hæc est *Canonum*, nec *Canonistarum*, doctrina ; verùm privata *Gratiani* :
causa

causa XXIX. q. 1. Et licet error ille non vitiet quoad *substantiam personæ*; vitiat tamen quoad *substantiam matrimonii*: eò quòd unionem carnis, quam cum personâ integræ virginitatis vel *castitatis* saltim, ut in viduâ, subire quis constituit, impediat.

NE SINT RATA) h. e. ab initio *nulla*, ita *P. 20.* ut ne quidem *restitutione in integrum* opus sit; atque hoc ob summam *libertatem*, quæ in matrimonio vel maximè supponitur. Quod verò *perfectum* esse dicitur matrimonium, idem *ratum* est. Sortitur autem perfectionem suam *Jure Canonico* per *Sponsalia de presenti*: nec tamen per hæc *consummatum* habentur. Videlicet consummatum idem est quod impletum: puta *Jure Civili* per *ritum Nuptiarum*; *Jure autem Canon.* per *benedictionem* sacram, ut & per *carnalem copulam*, quæ sponsalibus supervenit. Quamquam copulæ *carnalis*, non eadem, quæ *Sacerdotalis*, sit efficacia. Sic enim Sponsalia de presenti posteriora, cum benedictione Sacerdotali, præferuntur prioribus, quamvis in his copula carnalis intervenerit; sed posteriora cum copulâ carnali non præferuntur prioribus, si Sponsa prior admittere Sponsum velit nihilominus.

AB HOMINE ILLATUS CONTRAHENTI.) Puta ut *metus* alicui illatus in hoc directus sit, quò

quò matrimonium ille iniret. Hinc non est matrimonium meticulosum, quando metus mortis *aliunde* incutitur foeminae, v. c. per instans naufragium, & illa, ut ex naufragio liberetur, in matrimonium se despondet ei, qui ipsam inde erepturus est. *l. 7. & 9. ff. Quod metus causa.* Non etiam censetur esse illatus metus Sponso, quem is *sibi ipse attraxit*: v. g. quem deprehenso ei cum filia pater incutit; ipse verò ad periculum effugiendum filiae illi matrimoniò se devincit.

IN RAPTU.) Quid in articulo hoc, variis distinctionibus obnoxio, sentiendum sit, non minus *ad Desselium* expedivimus. De raptu verò *Sabinarum ad Huberum d. Jure Civit.* sententia nostra prodita est.

P. 22. UBI PLUS SIBI PARENTES.) *Sponsalia secundum Concilium Tridentinum*, ut & mores *Protestantium*, irrita sunt per *dissensum parentum*; *nuptiae consummatae* non item. Quod videri potest, ut plura alia, processisse ex *imitamento* tale quid non cogitantium, quò effectum aliquem hypotheseos *Pontificiae*, per quam *Sacramentum* habetur matrimonium, & tantò magis *indissolubile*, admittimus.

IMMATURIS IMPUBERUM DESPONSATIONIBUS.) Sed v. *Zoesl. ad tit. X. d. Despons. impub.*

RES

RES CLARA.) Sed *primæva* est hæc, eaque *P.22.*
moralis, dispositio, à quâ *ad tempus* remisit
 Divina *voluntas*; non *dispensandô*, multòque
 minùs *tolerandô*: nec enim hæc est ratio
 dispensationis aut tolerantia, si quæ Lex *in*
universum cesset; ùt nec cum *effectibus* illis,
 quorum aliquos tangit *H. Grotius*, consistere
 possunt. Sed *jure immutatô*; quod denuò
 in *novô fœdere* *reductum* est: citrà quàm ex
 hoc Christus pro *novô Legislatore* haberi
 possit. Nil enim per hoc Legi *veteri* super-
 induxit, quia nunc submota erât causa illa,
 ob quam Deus polygamiam in V.T. aliquan-
 diu admiserat. Ideò Christus, *Interpres vo-*
luntatis Patris sui perfectissimus, Legem *mo-*
nogamiae reduxit.

CORRUPTAE RATIONI.) Verius est, ne sa-*P.23.*
 nam quidem *rationem* inhibere *polygamiam*
 cum pluribus uxoribus.

CARPI NON POTEST.) Imò falsa est hæc *P.24.*
 sententia. Nam *dispensatio* illa non est in
 uno alterove casu, non etiam *conniventia*
 cum effectu meræ impunitatis. Sed est *per-*
missio cum Jure *liciti & honesti*. Sanè in *Le-*
ge morali, eò magis quòd positiva est, *gradûs*
 dari honestatis, nil repugnat. Sed tamen
 gradûs illos conficere seu inducere, non est
 humanæ, sed solius *Divinae potestatis*.

LUTHERO.) Pontificii enim Lutherum red-

B

argue-

arguebant, quasi Ipse *Philippo Magnanimo*,
Hassia Landgravio, Confessori, permiserit con-
 nubium simultaneum, ut conjugii superindu-
 cere potuerit *Margaretham von der Sale*.
 Sed *Opera Lutheri* perquirenti tale quid
 nusquam se offert. v. *Diss. Michaël. Siricii de*
Uxore una: & *Seckendorff. in Lutheranism.*

CONCUBINAS.) Hæ quidem Uxores sunt
secundarie & una; indeque *Romano jure*
 permittæ. v. *Tit. d. Concubin.* Sed *Pellices*
 sunt occultæ & simultaneæ; & exhinc prohi-
 bitæ, quæ maritos nempe pelliciant sive ab-
 strahant ab amore veræ & legitimæ uxoris.
 Utique *Concubinatus* hodiè tolerari solet in
 viris Illustribus, & militaribus, qui vitam va-
 gam ducunt; *Pellicatus* verò non item.
 Differt quoque *Concubinatus à Morganatica*;
 (ad matutinale donum, *Morgen Gnad.*)
 Nam hæc, & usu quidem, solum inter Illu-
 stres permittæ est, cum Jure honesti & li-
 citi.

SENTENTIA JUDICIS.) Puta si *adulterii*
 causâ, vel *simili graviore*, matrimonium per
 sententiam Judicis ad Divortium pervenerit.
 Et hoc quidem apud *Nostrates*, quibus *vin-*
culum quoque rumpitur. Nam *Pontificii*,
 quousque superstites sunt conjuges, ne qui-
 dem innocenti, hoc casu, iterationem Nuptia-
 rum permittunt.

PON-

PONTIFICIORUM QVORUNDAM.) v. notata P. 25.
ad Tit. X. de secundis nuptiis, ubi de benedi-
ctionibus, quat. hisce nuptiis non adhibean-
tur, apud Pontificios: apud Nostrates v. o-
dium merè civile est secundarum nuptiarum,
& respicit favorem liberorum prioris matri-
monii; ne illius imminuantur commoda, ex
eo vel quæ sita liberis, vel destinata. l. 6. C. d.
Secund. Nupt.

MULTIS NON PROBANTIBUS.) Et tamen
improbari non potest; nec improbatur ab
ullo, qui cogitaverit, hunc terminum non
nisi *permissivum* esse, ut videlicet Nuptiæ
non sint illegitimæ, quæ hâc ætate ineuntur:
licet non omnibus, & imò paucis, *commode*
futuræ sint. Aliàs enim & ipsæ Leges nostræ
cum primis *Novella*, nuptias præproperas
disfvadent.

PRAESERTIM INTER CHRISTIANOS.) Quæ P. 26.
tamen duravit adhuc diu inter Christianos.
v. pag. 57. & Tit. X. de Conjug. Servor. ubi
etiam de *adscriptitiis*.

IN FEUDIS.) Quod *Carpzovius* firmat
præjudiciò, in *Definit. Forensibus*; & *comm.*
asseritur.

CLERICIS.) Junge *Henrici Mülleri*, Ro. P. 27.
Stoch. Diss. de Conjugio Clericorum. Quia
& ipsi Pontificii largiuntur, non esse juris Di-

vini, sed tamen *Ecclesiastici*, hanc prohibitionem.

RESCINDANT.) Habent omninò plura *impedimenta*, quæ *dirimentia* appellant; quibus & accensent *hæresin*. Nec tamen illi amplius, in matrimonio & similibus, accensent *Protestantes* hæreticis; indeque nec dirimunt inita cum his matrimonia. Nos verò præter *Jus Divinum* nil induci posse, quod matrimonium dirimat, asserimus. Cæterum quod *Religionem* attinet, ipsi *Pontificii* in his locis, ubi mixti degunt cum *Protestantibus*, matrimonia illa, etiam ab initio, admittunt. Pactum verò, ut *liberi*, vel omnes vel aliqui, in religione aliâ quàm *Pontificiâ*, educari posse debeant, plerique eorum pro invalidis & illicitis habent. adde Scherzer. *ad Breviarium Hülsemanni*.

COGNATIO SPIRITUALIS.) Illud tamen dissuadent *Nostrates*, (licet nullam agnoscant *cognitionem spiritualem*,) ut quis susceptor non ducat *susceptam*. Videtur enim verecundiæ obesse, ut quis eam, quam loco filiaë assumit, in matrimonio habeat. Interim conjugium ejusmodi *prohibitum* non est.

PONTIFICII.) Est verò *prohibitio*, quæ inde procedit, valde *coarctata* per *Concilium Tridentinum*.

JURIS NATURALIS.) Hoc ipsum non potest
 asseri, nisi de *quibusdā Legibus*, quæ ibi habentur.
 Nam pleræq; illarum sunt *morales*; nulla
forensis: quod quidem asserunt de quibus-
 dam *nonnulli ex Pontificiis*; nimirum ut ex-
 cusent eò faciliùs licentiosam *Dispensatio-*
nem, quâ in plerisque prohibitionum, quæ
 dictum Caput continet, utitur *Pontifex*; &
 quem tamen etiam putant, tanquam *Dei vi-*
carium, posse dispensare in *Legibus morali-*
bus. Illud sanè docent *Ipsi*, quòd *Pontifex*
 non possit dispensare in matrimonio *inter*
fratrem & sororem; & tamen hoc non est
Juri naturæ, sed tantùm *usui Gentium* plera-
 rumque, & *Legi morali Dei*, adversum. Si
 enim esset *Juri naturæ* contrarium, Deus non
 potuisset concedere matrimonium inter fra-
 tres & sorores, ex primis hominibus progna-
 tos.

BRUTA.) Animalia *bruta* promiscuè con- P.28.
 grediuntur: ac proinde frustra *honestatis*
 rationem ab eorum exemplis, quæ & expe-
 rientiâ quotidianâ evertuntur, quis peteret.
 Tota ratio honestatis & justitiæ, non solum
 quoad *modum actuum*, v. c. defensionis natu-
 ralis, sed & quoad *actum ipsum*, puta quòd de-
 fendere se quis debeat, (& sic in aliis similib9,) in
Jus Gentium primævum, quod appellant,
 seu *Jus naturale humanum*, incidit. Estque

Jus naturale, quod cum brutis commune esse dicitur, *improprie* sic dictum jus, *etiam* quâ *hominem* attinet.

CONSISTORIA.) Eò quòd *Theologi* initio Reformationis *computationi* illi adfueti fuerint. Neque etiam *absurda* est, ut *Strauchius* & alii volunt, si ad *matrimonia* tantùm trahatur: quippe in quibus sufficit, quòd *una* personarum conjungendarum non habeat debitam distantiam à communi stipite; quidquid sit, quòd altera è latere opposita 4. 5. 6. gradu à stipite remota sit: quale quid tantùm in *Successionibus* absurditatem induceret: eò quòd ibi unus quoque totam successionem obtinere possit, qui defuncto prior est, indeque *singulorum* rationem haberi oporteat.

AULAE PAPALIS.) Ut scil. nundinationes *Dispensationum* ad plures casûs extendere possent. Intorim, quâ ratione tueantur Illi, *probabiliter* saltim, quantum ad legis *positivæ* rationes sufficit, prohibitionem illam ad quartum usque gradum inclusivè? v. not. ad Tit. X. de consangu. & affinit.

PROVINCIALE.) Et in *his Provinciis* quandoque *Consistoria* usu obtinuère, ut in casibus remotioribus *dispensare* possint, locò *Episcopi*; licèt legem non condiderint: & non minùs *Taxam Dispensationum* definiunt.

IM-

IMPERIUM CIVILE.) Quænam hujus Imperii natura sit, ad Huberum *d. J. Civit.* explicavimus.

PARENTUM AUCTORITAS.) Equidem *Civili P. 29.* *Jure* matrimonium non est modus tollendi *Patriam potestatem*: quippe quòd Imperium *maritale*, juxta potestatem illam patriam, bene consistere possit; similem in modum atque filius-fam. habere potest in alium potestatem tutoriam. *Moribus* autem *Filia* protinùs eximitur per nuptias potestati patriæ; cum primis *Jure Saxonum*, ubi transit in *Curatelam* mariti: quæ non potest habere locum, nisi in uxorem *Sui Juris*. *Filius* verò tunc eximitur potestati Patriæ, cum se à patris œconomiâ seu re familiaris separât; licet fortè nec dum conjugatus.

ADULTERII.) Quidnam *Jure Justiniano* & *moribus* in hoc articulo obtineat. v. *Comment. Pand. ad Legem Corn. de Sicariis.*

REPUDIORUM LICENTIA.) Hanc ex parte *P. 30.* rescavit *Justinianus*: simul & semel rescicare non potuit: *vid. Tabor in Conclus. Partit. Elem.* ubi quædam ad *Mæstertium* habet de *Justitia legum Romanarum*. Maximè verò hæc licentia se exerebat in Divortiis susceptis *bonâ gratiâ*. v. *Brissonium*.

INHIBITIONEM.) Sed est absterfio abustis, non *lex nova*: v. Buxtorfium & al.

P.31. VERUM ET RATUM.) Veluti quando *impotentia* se exerit, post matrimonium consummatum.

NEGAT GERHARDUS.) *Pontificii* autem asserunt, & ipso facto ostendunt, in *causis* suis, quas appellant *dirimentibus*; ut tamen ipsi effectum talem in divortiis, qualem *Nostrates*, ad *vinculum* dirimendum non admittant. Planè *desertionem* malitiosam *Nostrates* quoque ad plures *species* per *assimilationem* extendunt, quibus etiam inter præsentes desertio illa vel quasi adstruitur. Similiter *adulterium* sive *negotium* ad averfationem singularem extendunt, si per eam fides conjugii quid patiatur: v. Doctores *Bækelmanno* citatos, in *Disp. Graduali*, & *Rennemann*, in *Jurispr. R. G. Membr. 4. d. Jur. Personar.*

P.32. DISPENSATIONIBUS.) Licet enim *Pontificii* diremptionem *vinculi*, ut solutæ matrimoniõ personæ nubere denuò alii possint, non admittant; tamen *Pontifex* per *dispensationem* inducere diremptionem illam potest: non quasi tollat *Sacramentum* sive unionem illam primam, sed quòd contractum ipsum, qui hactenus ex *Sententia* ipsorum *humanus* est, *declaret nullum*, quò subductò *Sacramentum* nunquam substititit. Exemplum egre-

egregium Dispensationis ejusmodi habemus
in *Henrico VIII* Angliæ Rege. v. *Hist. Schism.*
Angl. Nicol. Sanderi.

IMO ET ALIUS.) Puta *filius* ex man- P.33.
dato patris: non extraneus; licet aliqui Jus
hoc, quod tamen singulare est, ad *mandata-*
rios ejusmodi & *auxiliatores* extendere au-
deant.

IN CORPUS.) Hæc *potestas* non confertur
per *Sponsalia*, sed per matrimonium con-
summatum; quod ad instar *traditionis*, &
sic implementi, habet, sive perfectionis secun-
dæ. Hinc procedit, quod *Sponsalia* etiam
de *præsenti* possint ex multis causis, (ob quas
infaustum videri potest *matrimonium*,) diri-
mi; ob quas non potest *matrimonium*, Jure
corporis per illud jam inducto.

CANONISTAE.) Nequaquam verò. Nam
illi vel maximè primas deferunt *benedictioni*
sacerdotali. Interim dantur, apud *Nostra-*
tes quoque, varii *perfectionum gradus*. Sic
enim perfectio *consensus matrimonialis* in-
ducitur sponsalibus de præsentis, ad hoc ut
habeant necessitatem consummandi. De-
inde perfectionem alteram inducit *consum-*
matio, & confert Jus corporum; quod in
divortiis respiciendum est. Tertia perfectio
fit per consensionem *thalami*: wenn die
Decke beschlagen ist: & requiritur ad
B 5 lucra

lucra nuptialia : quæ superstes consequitur; licet, concubitu non accedente, alter ex conjugibus statim decesserit. Alicubi etiam copula carnalis ad effectum illum requiritur. v. Myler. *in Gamol.* Est etiam perfectio quædam ratione Effectuum *Ecclesiasticorum*. Et sic *benedictio sacerdotalis*, eorum intuitu, rectè dicitur esse *de essentiâ* matrimonii : cum quidem ratione effectuum *civilium*, puta ut liberi possint haberi pro legitimis, & parentibus succedere, perfectionem & essentiam suam matrimonium, etiam citrà benedictionem Sacerdotalem, per Sponsalia de præsentibus, accipiat.

P.34. FAVET.) Imò verò non favet uxoribus, quoad *acquisita*. Vult enim *Jus Romanum* illa in solidum penes maritum manere : cum uxor in operis ejus, ipse verò Princeps familiæ sit. Cæterum in *dote* prospicit omninò *Jus Rom.* uxoribus, ut illam in casu soluti matrimonii salvam habeant, quò denuò nubere, Reip. etiam causâ, possint.

NEGANTIUM.) Quæ tamen vera est, solùm de *Jure proprio* : nam *alienò* Jure, seu concessivò, *Augusta* non minùs legibus soluta est, per Principem maritum suum : à quo etiam participat Jure uxoris, per derivationem, quòd sit soluta Legibus illis, quæ maximè *civiles* sunt ; veluti quæ solennitatem actibus civi-

civilibus præscribunt, seu merè positivæ sunt, & subditos unicè obligant. Non aliter hodiernum in Principissis, aliisque uxoribus Illustrium virorum, obtinet, qui Jus condendi *statuta* habent. Nam uxores illæ Statutis ejusmodi nullatenus obligantur. Imò nec *liberi statuentis*. Quòd si verò *statuta* illa in *actibus suis* observent, uti Duces & Ducissæ Sax. *Jura Saxonica*: illud non ex necessitate legali, & quæ ex principio extrinseco coactionem inferat; sed ex spontaneâ & liberâ voluntate aut pactò, proficiscitur.

ULPIANUS.) Tres orationes scripsit *Jacobus Gothofr.* (I.) *Ulpianum*, ad L. 31 ff. de *Legib.* (II.) *Julianum*. (III.) *Achaicam*. Respexit in illis ad causas *turbarum Germaniæ*, suorum temporum; sc. quòd (I.) Imp. semet pactis seu conventionibus solutum, magis re ipsâ, quàm professione, ostenderet. (II.) Religio persecutionibus extendi vellet. (III.) Quisque Statuum Remp. independentem sibi fingeret; ùt in foedere Achaico.

PLATONIS.) Cùm enim mos ille *Philosophiæ* P. 36. *Platonica* fuerit, ut per *Dialogos* inculcetur: hinc non protinus pro asserto habendum est, quod à Disquirente altero proponitur; quanquam obscuræ etiam & generales, quæ sciscitantibus redduntur, responsiones sint: ut lectorem illas determinare ex hypothesi

thesi genuinæ Scholæ oporteat; non secus atque moderni Philosophi *Epicurum* ad voluptatem, quam commendat, non corporis sed animi, trahere satagunt; quos inter est *Gassendus* & *Scharrokius* de *Officiis secundum Jus naturæ*, in *præfat.* quod planè distat ab illo Poetæ: *Epicuri de grege porci.* Multa quoque ipse *Aristoteles Platoni*, Præceptoris suo, indignè tribuit, quæ nunquam *Plato* cogitaverat; tantum ut plus ille Præceptore suo sapere videretur.

IN TYRANNIDEM.) Cùm tamen ista elogia in *hypothesi* solum procedant: quoad *thesin* verò non possit præstantior matrimonio censeretur *Cælibatus*; quoniam Deus homini, etiam in statu integritatis constituto, appetitum sociale, & in specie quidem ad matrimonii consuetudinem indiderit; sitque societas illa prima & præcipua, ex quâ Deus *Ecclesiam* sibi colligit.

P.37. IMPURE ET CALLIDE.) Utrumque tribui potest *Cælibatui Clericorum*: prius ex plurimum vitio, licet omnes *Seraphici* & *Parthenii* videri velint; posterius autem, sive calliditas, ad *Status rationem*; de quâ v. *Edvvin Sandis*, vom Zustand der Religion. Ceterum de *cælibibus* in universum, & quâ ratione Status illius indignitatem Jura coërcuerint

runt omni tempore. v. Schottel. in denen
alten Deutschen Rechten; *Cap. von Hages
Stolzen.*

SAPIENTEM.) Hoc argumentum *totò capi-
te* persequitur Scharrok. *d. tr. de Off. secund.
7. Natura.*

SANCHEZ.) Est is primarius Scriptor in P. 40.
hoc articulò Theol. moralis; à quo tamen
plurimum recessisse videtur *Basilus Ponce
de Matrim.* meliori judiciò usus in plerisque.
Interea *Dannbauerus* quoque, in *Theol. Con-
scient.* detestatur *Jesuitarum* illorum, & cæ-
terorum *Moralistarum*, Disquisitt. sapiens im-
purissimas, quas ad confessiones auriculares
formant, ipsosque super eis Confessarios in-
struunt.

VIRIS QVE MULIERES PRAEFE-
RENTIUM. Quicquid sit, quòd jocò id
palliatum velint. Quò pertinet *Ehrenpreis
des löblichen Frauenzimmers / W. Ignat.
Schützens*; cui oppositus est libellus, *Poli-
andins gestürzter Ehrenpreis.* &c. P. 41.

JACOB. GOTHOFR.) in *Fontibus Juris Ci-
vilis.*

LE THEATRE D' HONNEUR.) Innuitt
scriptum *Theodorici Gothofredi*, fratris *Ja-
cobi*, quod etiam in *Notitiâ Imperii* com-
mendat. Pertinet huc *Diss. Linckii de Illu-
strum Sponsarum deductione.*

CAP.

CAPUT III.

De

Societate Parentum
& Liberorum.

P.43. **S**IDERUM POSITURAM.) vid. Huartum in *Scrutiniò Ingenior.* Cæterùm multa in *h. Cap. III.* habentur ad *Oeconom.* spectantia.

P.44. **QUAE DE LEGITIMA DISPUTANTUR.)** Videlicet *Legitima*, si *Juris naturalis* est, materialiter spectata, oportet eam tolli non posse: Interim *civilis* est formaliter, ratione quanti definiti; & imò nec materialiter juris naturæ est. Neque enim illa cum *alimenti* coincidit: quippe quòd *Legitima* etiam adultis, item locupletibus, debeatur. An verò præter Liberos debeatur hereditas etiam *parentibus*, item *propinquis*? ad *Huberum* disquiritur; ubi diximus: successiõnem ab intestato non quidem procedere ex conjecturatâ hujus vel illius defuncti voluntate; procedere tamen à conjecturâ voluntatis humanæ, in genere spectatæ: ut plerumque destinare solent defuncti relicta bona sua & facultates, liberis præ Parentibus,
con-

conjunctis pro extraneis. Neque verò Jura
in singulas personas scripta sunt.

AD POTESTATEM PATRIAM REFERRI.) P.45.

Quod quidem rectè se habet, quoad *patrem*
& *formalia* exheredationis. Aliàs enim *ma-*
ter etiam exheredare potest liberos; quam-
vis *præteritio* hujus pro Exheredatione sit:
quantum verò ad *liberos* attinet, illi per ex-
heredationem non eximuntur patriæ pote-
stati; sed manent *in familiâ*, & *sui heredes*:
nempe heredes in actu primò; indeque ha-
bent querelam inofficiosi testamenti. *Eman-*
cipatio autem rigidior est; quippe quæ
potestatem patriam tollit, & emancipatum
ex familia excludit: quòcirca emancipatos
Jure prætoriò seu bonorum possessione, uti
oportebat, ut ad hereditatem paternam ad-
spirare possent. Hodie emancipatio, quæ fit
per totalem *Separationem*, durch eine *Ab-*
findung/ oder Erbabsonderung/ habet effe-
ctum justæ exheredationis: & hinc liberi
taliter separati ne quidem Legitimam pos-
sunt prætere ex hereditate patris, dein-
ceps mortui; sed imò ipsi ratione heredi-
tatis illius paternæ (idem de maternâ cen-
sendum est,) pro mortuis, aut legitimè & justè
exheredatis, habentur.

EXPOSITIONE INFANTUM.) v. Tit. *Justin.*
Cod. de Infant. Expos. Inducit autem ex-
positio

positio illa, ex veriori sententiâ, præsumptionem illegitimitatis. vid. Wissenbach. *ad tit. π. de his qui sui vel alieni Juris sunt.*

DISCIPLINA ROMANORUM.) *adde Hannekenium, de Cura rei Domesticæ apud Romanos.*

P.46. UTRIQUE PARENTI.) Est enim hæc forma *mixta* ex duabus Regiis, pro diversis objectis, quæ imperanda veniunt.

PER VICES ÆTATIS.) Et tamen cum *potestas patria* non tantum ex *educatione*, sed & ex *generatione* deduci debeat; cujus beneficium perdurat in ætatem quoque proVectiorem. Hinc cavendum est, ne cum *H. Grotio* statuamus, desinente educatione, desinere quoque Jura potestatis, quod est contra præcepta Romanorum, ipsamque rationem prævalentem.

IN VOTA LIBERORUM.) vid. *Diff. Osiandri de Votis*, & quæ ad *Tit. X. de Votis & votor. redempt.* notavimus.

P.47. COERCITIO MODICA.) Quò pertinet disquisitio *ap. Ant. Fabrum, in Codice Sabaud.* an patri, qui spontè offert filium suum criminis reum judici, donandus sit filius, ut eum domesticâ coercitione puniat.

IMPERANTIBUS DEPENDEAT.) Facit etiam eò, quòd in *statu familia*, extrâ Remp. positò, *capitalia supplicia* cessent penitus.

PER-

De Societ. Parent. & Liber. 3

PERPETUA.) Est verò etiam perpetua potestas patria, tam jure naturali, quàm civili: ut tamen, quoad Jus Naturale, ratione certor. objectorum, cessare possit; Jure Civ. autem non nisi modis Lege definitis tollatur.

TOLLITUR.) Imò falsum hoc est; nisi re- P.48. stringatur ad ea, quæ *muneris publici* sunt: quippe in quibus filio Magistratui patrem obedire oportet.

CLAPMAR. ET CARDANUS.) Uterque enim, & *Cardanus* quidem, in *Encomio Neronis*, facinus hoc excusant.

ABDICATIONI.) De hujus ab exhæredatione discrimine, ad Tit. *Inst. Quib. mod. jus P.P. solv.* diximus.

NE IN REGNUM SUCCEDAT.) Immiscet P.49. plura subinde *Auctor*, quæ Politicæ disquisitionis non sunt. Nobis illa quæstio ad *Jus Publ. universale*, inter *Huberiana*, tractatur.

MUTUAM ALIMENTORUM.) vid. P.50. tot. tit. in π . de agnoscend. & alend. liberis, &c. item *Colerum* in *tr. de alimentis*, *Surdum*, *aliosq.*

NE FILIUS IN JUS VOCARE POSSIT PARENTEM.) & quamvis hodiè cesset vocatio illa *violenta*, quâ in statu maximè populari ap. Romanos quisque adversarium suum poterat obtorto collò in Jus rapere. Tamen adhuc

adhuc citationem adversus parentem petere debet filius non nisi *cum veniâ*, seu detestatione litis; secus si fiat, mulctari ex edicto potest.

NON REPUGNANT DIVINAE VOLUNTATI.) In præceptis enim naturalibus datur *subordinatio*, ut publica derogent privatis, divina humanis. Hanc autem immerito quis *mutationem* diceret, cum id quod subordinatum est, naturâ suâ restrictionem habeat à superiori, seu eo quod potius est.

P. 52. ROMANORUM IN PARRICIDAS SEVERITAS.) Rationes poenæ illius *solennis*, & cur adhibeantur parricidæ, bey der *Sacfung/ simia, vipera, canis & gallus*, exponit optimè *Job. Palatius, in Aquila occidentali.*

AN MATER ADULTERA.) v. Comm. π. *ad Tit. ad L. Jul. de adult.*

IN CRIMINE MAJESTATIS.) Equidem nulla est in eo Legum civilium *iniquitas*, quod ad liberos nil ex bonis paternis, & ne Legitima quidem, proveniat: postquam bonis omnibus ipse pater jam exciderit. Neque enim in filium quidquam transire potest, nisi quod Pater conservaverat. Illud solum esse durum videtur, quod liberi reorum læsæ Majestatis *infames* fiant.

fiant. Et tamen hæc infamia tantum exclusiva est ab honoribus futuris; nec in eorrigore accipi potest, quò infamia, quæ alicui ex proprio facinore inuritur, atque unice vera & propria est. Imò cum fama, (id est hoc loco *habilitas Civilis*, quâ quis in Civitate ad functiones & officia publica admitti potest,) ex beneficio Reipublicæ pendeat: hinc Resp. declarat, liberos ejusmodi arcendos esse ab honoribus, ut ne ad illos, nisi ex novâ causâ, adspirare possint; idque in securitatem universi, quam omni ratione, etiam per jacturam singulorum necessariam, communiri æquitati conveniens est.

(MAJOR FRATER.) Plura hanc in rem P. 53. habet Carpozovius in *Defin. forens.* & Mylerus ad *Rumelinum in Aur. Bullam*: ubi simul alia de *Primogeniturâ* quoque cumulat.

(POST PATRIAE CARITATEM.) De quâ P. 54. pulchrè *Praschius*.

(ÆRODIUS DE PATRIO JURE.) Nam P. 55. huic *Jesuitæ* filium abduxerant.

CAPUT IV.

De

Societate Herili.

P.56. **J**CTI AUDIENDI SINT.) Servitus, quando accipitur pro ministerio quodam seu *famulatio*, utique est *naturæ* conveniens: quia *societas herilis naturalis* est: & sic quoque vera est *Aristotelis* sententia, quòd aptior sit ad serviendum, qui est imbecillioris ingenii; falsa autem, si eum actu detrudere velimus in ministerium, qui non æquè valet judiciò: nam *aptitudo* per se non parit Jus seu Statum in Republicâ. Si verò servitus accipitur in sensu, quò ex captivitate inter Gentes duci solita est: ita non est à natura, nec à Jure Naturali; neque tamen est contrà Jus naturale (licet sit contrà statum primum naturæ,) quin potius æquitati est conveniens, ut faciliùs in servitatem quis recipiatur, quàm ut occidatur: quamvis etiam melius sit, si servetur usque dum redimi possit à suis, quàm ut in servitatem redigatur.

P.57. **P**OENA.) Nempe Jure Civ. ultimò supplicio damnati fiebant servi: & hinc omnia bona ipsorum in Fiscum redigebantur.

bantur. Olim quoque servi poenæ fie-
bant, qui in metallum damnabantur. Sed
hæc species *Jure Novellarum* sublata, &
prior etiam hæctenus restricta est, ut qui
ad ultimum supplicium damnati fuerant,
heredes nancisci potuerint in lineâ rectâ,
& per *Jus Authenticarum* in collateralibus, ad
tertium usque gradum, ab intestato.

JUSTITIA INTERNA.) Verum hoc est,
quoad servos alios, quàm qui in bellô ca-
piebantur: nam hos, puta resistentes ad-
huc, occidere licebat, nisi quòd eò ipsò,
dum quis eos servavit, de vitâ cum ipsis
pactus esse censeretur.

DE SC. SILANIANO.) v. not. ad H. Grot.
L. I. d. J. B. & P. c. 2. §. 9. & ad ff. ad SC.
Silan. Scilicet Senatusconsultum illud
partim vilitas servorum, partim officia Do-
minis debita, excusant. Accedit quoque
temperamentum deinceps adhibitum, de
quo Colleg. J. Arg. T. II. p. 499. De tor-
quendis servis, in testimonium aliarum quo-
que causarum vocatis, v. Tabor. in *Tr. de*
Questionibus.

SCRIPTORES VETERES.) De Usu *Legum* P. 58.
Romanarum modernò, quæ de servis agunt,
adhibe *Stammium de Servitute persona-*
rum, & quos junctim edidit Tabor.

Societate Domesticâ.

Quæ in Cap. V. *Auctor* habet, omnia ferè ad *Oeconomicam* referenda sunt.

P. 60. *MONACHORUM INSTITUTA.*) conf. *Dannhauer. in Th. Conscientiar.* & quæ ad *Jus Canonicum, de bonis Clericorum,* notata sunt.

LATROCINIUM.) vid. *Tabor. in Arma-ment.*

P. 61. *RERUM COMMUNIO.*) vid. *Analect. ad Syn. J. Feud. Struvii;* ubi & de *Dominio potentiali Strauckii.*

Civitate.

P. 65. **P**ER COLONIAM.) Equidem nonnullæ tantùm Civitates per *Colonias* constitutæ fuere. Vid. de *Coloniis* in universum *Pufend. L. VIII. d. J. N. & G. c. 11. §. 16.* Imò aliquando ex unâ Civitate plures fiunt; quò propriè pertinet *eductio Colonia-*

qualem statum tempore *Interregni*, in populo Rege vacuò, concipere licet. Quæ enim tunc *Majestas* penes populum esse dicitur, illa nequaquam *formalis* est, & quæ statum v. c. Aristocrat. vel Democrat. conficiat; sed tantùm *virtualis*, & ut penes populum in potestate, seu actu primò, resideat: adeò ut secùs se habeat, quando populus, Statu Democraticò seu politicò aliquamdiu usus, ex destinatione perpetuâ, nihilominùs deinde vel Principem sibi præficit, vel vi externâ subicitur, ut in Principem consentiat. Nam ita Majestatem, quam formaliter habet, (licet ea *personalis* non appelleretur; cujus tamen vim & plenitudinem continet, æquè ac Majestas Monarchica,) in Principem novum transfert. Est quoque Majestatis hoc peculiare, quòd potestatem seu virtutem *extraordinariam* habeat; qualis est *imperium & dominium eminens*. Illud enim collatum esse non censetur Magistratui Summo: non etiam illud exseritur in statu *Magistratico*; nisi ex pacto novo: adeòque hâc ratione itidem non constat vi potestatis, sed arbitriò sponsonis. Equidem in *statu populari*, ubi per Curias Imperium seu Majestas populi exercetur, potestatis illius *extraordinariæ* exercitium penes Curias illas

las non minùs residet; idque ex constitu-
 tione primâ Majestatis illius Democrati-
 cæ: quamvis fons ipse seu fundamen-
 tum Majestatis sive potestatis illius, ut
 ipsa Majestas in se, & realiter, pe-
 nes populum universim sumptum resi-
 deat. Est verò *Politia* forma Statûs po-
 popularis recta seu *Democratia*; ubi po-
 pulus, i. e. vulgus, plus habet potestatis
 quàm ad accurationem & perpetuita-
 tem Statûs facere videtur: nam hujus in-
 terest imperium non devenire ad singu-
 los, sed per *Curias* præcipuorum civium
 administrari; indeque *Democratia* nomi-
 ne corruptam quoque *Remp. popularem*
 intelligimus. Major verò corruptela est in
Ochlocratia, ubi turba Imperium exercet:
 nam hæc facilè in *Anarchiam*, vel etiam in
Tyrannidem, aliamve *Reipubl. occupa-*
tionem dilabitur.

DUBITAVIT.) Et tamen dubitant imò P. 68.
 negant illi, qui hominem non esse *animal*
sociale, vel statuunt, vel id traditis suis ceu
 hypothesein supponunt, *Hobbefius*, ejusque
 alleclæ.

POLITICI OPUS EST.) Et *Legislatoris*:
 illius per prudentiam; *hujus* etiam per po-
 testatem: & quidem prudentia politica,
 circa constituendam *Remp.*, *Legislatoria*

& *Architeſtonica*, circa conſtitutam *Conſultatoria*, (*βουλευτική*;) dicitur: ut ſuperius expoſitum eſt.

P.69. SED ET ONERA.) Ita rectius, quam ſi dicas *præmia & pœnas*: nam pœnæ non pertinent ad Cives, quæ tales ſunt; nec etiam præmia. Unde *Juſtitiaæ diſtributiva*, quæ tota publica eſſe videtur, objectum rectius dicuntur eſſe beneficia & munera civitatis.

UTILITATIS.) Sed *publica* tamen, quæ exinde honeſtati ſeu æquitati non adverſetur. Quod enim in communi utile eſt, illud, ſaltem ratione communitatis illius, pro juſto habetur. Aliàs per ſe & directò utilitatis cum æquitate communio non eſt. Unde intelligi poteſt, quiſnam ſit ſenſus Definitionis *Grotii*, quæ deſcribit *Jus naturale, quod Societati, i. e. utilitati, eorum, qui ratione utuntur, non repugnat.*

CITRA RESPECTUM LEGIS.) At verò hæc non niſi *Majeſtatis* eſt; quanquam in *L. I. ff. de LL.* dicatur *Sponſio communis Reipublicæ*. Utique enim *populus* totam ſuam voluntatem in *Principem* tranſtulit. Alicubi etiam *sponſio* illa præconſultationem *Legis* conficit; quale quid in *Comitiis Imperii Romano-Germanici* accidit, durch das Reichs Gutachten / & Decretum *Cæſaris*.
SUB-

SUBDITUS A CIVE.) *Subditus* enim ordinem innuit subjectionis ad imperantem. *Civis* totum civitatis respicit, & per se quidem citrà Imperium: ubi verò Civitas Majestatica est, ibi *Princeps* quoque est pars Civitatis. Et sic est *Civis*, qui tamen subditus non est.

PARTICIPATIO JURIS IN EA CIVITATE.) P. 70.
 Quod jus pro statu Rerump. variat. Unde *Aristoteles* illud, in populari Republicâ, ad participationem magistratum & judiciorum redegit, ad quæ civium quilibet in illâ adspirare potest. Aliàs non debebat abduci *Relfensio* Definitione illâ *Aristotelicâ* civis popularis, ut assereret, statum quoque nostrum Imperii Romano-Germanici ex Democratiâ mixtum esse, quasi in Romano Imperio nulli cives sint alii, præter Status Imperii, tanquam Magistratum & Judiciorum illius participes. Quorum etiam quemlibet ille *Majestatem* distinctam in suo territorio habere docuit. Imò vix ille poterat aliter, quantum ad hypothesein statûs Politici seu Democratici in Imperio (scil. universô) attinet; postquam ipse *Conringius* quoque, & qui eum sequitur *Burgoldensis*, definitionem *Civis* Aristotelicam Statibus Imperii applicaverant.

CIVEM

CIVEM SECUNDUM MAGIS ET MINUS
DICI.) Equidem Civis, ratione formæ &
essentia, non est magis & minus talis. Sunt
enim *essentia* sicut numeri. Interim Ci-
vis magis honoratus, magis dives, dici pot-
est. *Liberi* verò & *servi*, quatenus partes
sint Civitatis? ad *Huberum* notatum est.

IGNOMINIA NOTATIS.) *Infamia* tamen
Civitatem non adimit; quanquam eos, qui
maximâ aut mediâ *Cap.* minutione affi-
ciuntur, subsequatur: & tamen in *maxi-
mâ Cap. diminutione*, præter eam, quæ ex
pœnâ procedit, magis est, ut non tam in-
capaces existimationis esse videantur,
quàm ut verè & positivè infames sint.

P. 71. MUNICIPIORUM.) Quæ licet in Provin-
ciis essent, tamen jura quædam peculiaria,
& quæ sub provincialibus, generalibus
sc. illis, non continebantur, habebant.
Hodiè perperam *urbes* nostræ *Provincia-
les*, die *Landstädte* in Imperiò, municipa-
les dici solent: cum quidem *Municipalium*
diversa planè & singularis apud Romanos,
eaque imminuta quoad beneficia Civit.
Romanæ, conditio fuerit. Eò pertinent
inscriptiones Zabnii, Ponceti & aliorum,
de *Juribus municipiorum*. vid. *Comm. ad
ff. tit. ad L. Municipal.*

LATE

LATINITATIS.) Vid. notata ad §. ult. *Inst. de Libertinis*; ubi & in princ. *Tit. de discrimine Libertorum & Libertinorum.*

DEINDE PLENO.) Pertinet huc disquisitio de *Pfalburgeris*, ad *A. B.* de quâ ad *Notitiam Imperii Bœclerianam.*

INTER FOEDERATOS.) *Romani* illos omnes, quos non tenebant *Provinciae*, *Municipii*, *amicitiæ*, *foederis Jure*, *barbaros* appellabant: licet moribus se non inferiores.

DUARUM CIVITATUM CIVIS.) Verè & plenè, h. e. quoad personam & domicilium: quia talis est, cui in omnibus & per omnia imperari potest. Quid tamen si quis sub duabus Rebusp. *domicilia* habeat; unum, v. c. æstivum, alterum hybernum? Pro diversitate temporis diversam personam habet, adeòque duas Civitates ne quidem h. m. simul sequitur. Cæterùm quoad *bona* potest quis esse civis, h. e. beneficiis & muneribus uti, *variarum Civitatum*; sed ita non erit Civis *illarum variarum Civitatum*, sed *forensis*: ut ratione bonorum, & non aliter, Foro seu jurisdictioni, & ita Imperio, civitatibus illis subesse censeatur. Unde procedit, Imperium Civitatis ejusmodi, quod tantum in bonis fundamentum est, ultrà hæc valere quicquam non posse,

posse, nec ad personam possessoris pertinere; non aliter, ac *vasallus* ad summum à Domino suo, ob feloniam, bonorum feudaliū amissione multari potest. Inque eo à subdito seu cive propriè sic dicto discrepat.

R. 73. INQUILINUS AUT INCOLA.) vid. Dissertationem *Lauterbachii* de *Domicilio*, & not. ad ff. ad L. *municip. & de incolis*. Utique *domicilium* regulariter facit subditum, quamvis non protinùs faciat civem illius Civitatis; nisi jus Civitatis, das *Bürgerrecht* / acquirat: quod acquirere ne quidem cupiunt illi, qui *forum privilegiatum* habent; ut sunt in oppidò *Officiales Principum*, *Cives Academici*, *Milites*, *Clerici*, & sim.

P. 74. TESTAMENTI FACIENDI LICENTIA.) Hanc licentiam, per *Auth. omnes peregrini. C. communia de Successionib9.* omnibus, *Frid. Imp.* concessit, qui in orbe Romano vivunt. Et quidem hodiè etiam testari possunt *capite damnati*: qui tamen olim Civitatem amittebant; quanquam *Jure Novellarum* heredem ab intestato habere potuerint.

P. 76. FORMA CIVITATIS.) De hâc *suprà* exposuimus sententiam nostram.

P. 77. AC VI COERCEAT.) In hoc *causa impulsiva* *Majestatis* introducendæ continetur.

AB

AB HOC JURE MAJORIS PARTIS.) Quod P. 78.

Lampadius optimè expressit; quando ait, singulos ibi non vinci ex jure potestatis aliorum, cum quisque hactenus independens maneat; ut v. c. singuli Optimatum in Aristocratiâ: sed majoribus quem cedere, ex voluntate propriâ & lege, quam sibi ab initio ipse dixerat.

POTESTATEM RESIGNASSE.) Non poterat equidem sufficere, ad Majestatem constituendam, hæc resignatio: cum nemo habeat in semetipsum jus vitæ & necis, & sic jus illud, seu potestatem, ne quidem resignare posse videatur alii. Proinde distinguendum est; ut non singulos hîc spectemus, sed concentum multitudinis. Nam hæc valet potestate constituendi Imperium, quod, quasi à multitudine inductum, valeat Majestate, & sic jure vitæ & necis in singulos; quorum nec quisque in se, nec in alios, ex illorum concessione singulari, jus vitæ & necis habere aut acquirere poterat. Ex hypothesi verò, quam *Auctor pag. præced.* habet, quod non possit multitudo consistere, si non coerceri possint singuli extremò supplicii genere, procedit omnino, quod multitudo alicui possit conferre potestatem illam, quâ singuli ergà singulos, in hos & semetipsos, destituti sunt.

POTE-

P.79. POTESTATEM.) Quæ quidem & ipsa vera est; sed non legitima, priusquam *titulum* v. c. per consensum populi subacti accipiant.

SOLUM NON RECTE AGNOSCIT.) Pertinet huc doctrina *Huberi*, qui statum omnium primum, saltem naturâ, *Democraticeum* fuisse, idque ex pactorum successione, à Civitate in Rempublicam, à Republicâ in regimen liberius, quod populare est, transisse conjicit.

DE CIVE SCRIPSIT.) Eaque distinxit in Librum *de Libertate, Imperio & Religione*: In specie c. 5. *de Causis & generatione Civitatis*, Imperium in abdicatione voluntatis singulorum constituit, ut solus tantum Princeps personam civitatis habere censeatur.

P.80. JURA PARTICIPENT.) Aliud est, *participativè* tenere Majestatis jura; quod rectè asseritur de Magistratibus: sicut anima sensitiva participativè, licet non per essentiam, rationalis dicitur. Aliud est, *participare* jura Majestatis. In Imperiò Statûs Imperii, ab his, qui formam Imperii Aristocraticam esse statuunt, dicuntur *causam sociam* Majestatis constituere. Sed hoc, quàm rectè fiat, *alibi* docetur.

ME-

MEDIATE.) Sed mediati non dicuntur, qui *mediante Majestate aliâ* intermediâ subsunt; verùm hi, qui Magistratu aliquò intermediò, cui immediatè parent, Majestati in Republicâ subjiciuntur; quamvis etiam intermedia illa potestas sit varii generis. Sic enim *Status Imperii* non quidem simplices Magistratûs sunt; sed habent propriam & patrimoniam, eamque egregiam, quæ quodammodò Majestatem refert, Superioritatem: nec tamen Majestatem habere dici possunt intermediam; non etiam simultaneam, aut particularem, quippe quæ pugnat cum *unitate* Reipublicæ.

SIMUL SUBDITI SUNT.) Quale quid de P. 81. *Status Imperii* & aliis, qui *primò* subditi sunt, non intelligitur; sed de his, qui conditionem vasalliticam prius suscipiunt, & ex hâc per concomitantiam, ex observantiâ illarum terrarum, v. c. *Saxonicarum*, subjectionem contrahunt. Etenim hæc Subjectio, nisi vasallus *domicilium* figat in territorio, non est omnimoda, nec idcirco perfecta; ut hîc *Auctor* tradit. vid. *Anal. ad Jus Fendal. Struv. in Cap. de Obligat. Vasalli.* & quæ in *Tr. de Gravam. Extraj.* diximus.

NON PRIVATUM.) Imò *privatum*; &
D qui-

quidem *ut talem*, quanquam ad civitatem, nec ad vitam solitariam. Et quamvis si rectè habeat vita privata civium, etiam Civitas, saltim hòc intuitu, felicitate magnà fruitur; tamen *Ethica* directò non nisi beatitudinem singulorum quærit; *Politica* universitatis: quam omninò distinctam esse ab istâ facile patet. Nam & felicitas *Politica civilis* est, *Ethica* verò *moralis* ambitu finitur: nec officium Civis aliter inculcat, quàm ut viri boni est qualitas & virtus moralis, ut superiori seu Legi Civitatis obtemperemus.

P.84. VITIOSA.) Et sanè *essentialiter* non differunt, seu *formaliter*, recta & corrupta Respublica; sed sine tantùm.

P.85. DECLARABITUR.) Debit declarare *Bæclerus* ad *L. I. c. 5. Notit. Imperii*, ubi vid. quæ notavimus: & rectè habet *Grotius*, quando Remp. Romanam, etiam post accessionem Regni Germanici, perdurâsse scribit. Utrique *formæ immutatio*, in eòdem populò, non mutat Rempublicam: quia non differunt formæ Rerumpublicarum *essentialiter*, sed tantùm *subjectivè*, & ex numero imperantium: quæ differentia *accidentalis* est, & tantùm dissimilitudinem inducit; (uti mas & fœmina accidentibus diffe-

differunt, sexûs videlicet, essentiâ non item.

MORIUNTUR.) Hoc argumentum P. 88. illustrat præ cæteris *Petrus Faber* in *Semestribus*.

LIBER II.

CAP. I.

De

Majestate.

GRAECA QUOQUE.) Nec enim respon- P. 89.
det Majestati *μεγαλειότης*, ut nec *σημνότης*.

DIGNITAS CIVITATIS.) Qua ratione P. 90.
realem, quam dicunt, *Majestatem* innuit.

IMPERIUM ET DIGNITAS.) Hunc significatum habet non minùs, quando *Imperatori Romano* tribuitur; frustra *unam dignitatem* prætendente *Hippolito à Lapide*.

AGGREGATUR.) Nec tamen *ens per ag-* P. 91.
gregationem dici potest *Majestas*; sed *ens potestativum*, quod partes nonnisi *potentiales* habet: ita quidem, ut earum nulla auferri possit ex toto, ut non *Majestas* esse desinat: saltem *objectum* tale in *Republica*

câ reperiatur, in quô summa potestas, seu Jus Majestatis unum alterumvè, exerceri possit: (nam ita *Jus Aurifodinarum* cessare potest in Republicâ, quæ fodinis destituitur: & tamen non eò minùs plena ibidem reperietur naturâ suâ & habitudine Majestas:) Atque in hoc totum potestativum cum toto *integrali* convenit.

P.92. PER ARMA ET SCELUS.) Eò pertinet Parœmia, der König hat niemand über sich / denn Gott und das Schwert.

FIDUCIARIA.) Nec non *Lex Commissoria*, qualem in *Capitulatione Cæsareâ* contineri, malè statuit *Limneus*, in *Prolegomenis ad Capitulationem*: Reperitur enim solum in eâ effectus *annulationis*; isque non per omnia, quæ Cæsar suscepturus esset contrâ *Capitulationem*; sed in *passibus*, quos ipsa in eò locò, ubi de effectu illò agitur, (nec enim in fine & *universim* locata est illa Clausula,) *Capitulatio* edisserit. Ille effectus verò Majestati ideò non repugnat, quoniam non procedit à *principio externo*, sed à *liberâ profitentis voluntate*, eâque *antecedaneâ*; juxta formulam in *princ. Capitul.* aus freyem gnädigem Willen.

UBI ENIM CIVITAS, IBI MAJESTAS.) Ubi nempe Civitas est *Majestatica*. Et quidem

dem, licet *personalis Majestas* reperiri non videatur, nisi in Statu *Monarchico*; tamen si vox *personalis* ad rem ipsam referatur, & non ad individuum *persona*, vel non etiam ad *sanctimoniam* hujus inviolabilem: tunc etiam suo modo dici potest, id quod in Monarchiâ tenet Princeps, idem quoque *Optimates* in Aristocratiâ junctim sumtos ipso actu tenere; ut quâ per *Subjctum* peculiare *imperans*, exercetur Majestas, illa quoque ipsa in *Polyarchico* statu, seu *pluribus* personis, *indivisi*m imperantibus, *personalis* sit; quâ v. Rempubl. denominat, *realis* illa habeatur. Coeterum *Optimatum* etiam *quilibet*, ut *singulus*, considerari, extra respectum Majestatis, indeque plecti quoque potest, seu attrectari persona ejus, ex *potestate* votorum majorum: ut adeo hâc ratione ex scelere non sit inviolabilis, uti quidem est persona Regis una & individua. Etenim J. F. Hornius hypothesein, quâ Statibus polyarchicis *libertatem* tantum tribuit, non etiam Majestatem, ne quidem eam, quam *realem* dicimus, (quæ tamen ubique *personalem* quoque secum trahit; nec *personalis* unice Dignitatem, verum & *Potestatem* ipsam comprehendit,) *alibi* refutavimus.

P.93. NISI POTENTIA.) Nec tamen *radicaliter*, quia nihil quicquam potestatis remanet apud populum: imò per *Interregnum* populus non recipit Majestatem; sed facultatem, de novò Majestatem electo Regi conferendi, quam ipse populus non habuerat, nisi *virtualiter*: & differunt sane *potentiâ* aliquid habere, & habere *virtute*. Quâ ratione autem Princeps possit dici *voluntatem Civitatis* tenere; ut tamen ipse, quâ modum & conditiones Imperii, *populo*, etiam post acceptum Imperium, *obligetur*: illud contra *Hobbesium* ad *Huberum* explicavimus.

P.97. DUBIO CARET.) Imò non redit Majestas ad Civitatem, ut sæpiùs dictum est; sed planè desinit: sicut in aliis quoque entibus moralibus obtinet. Et hinc malè dicitur, quòd desinat Majestas realis in populo, postquam in Regem Majestas personalis transit; quæ *Grasvinckelii* Philosophia est. Eadem videlicet, nec alia, Majestas realis est, quæ cum Rege constituitur; atque ea quæ cum illò desinit: nec à personali nisi modò concipiendi, differt. Nam Imperium, quod realis Majestas denominat, ipsum solus tenet imperans, nec quicquam Imperii penes populum residet. Imò si *Respublica Majestatica* denominatur,

tur, inadæquata est denominatio, quæ non-
 nisi *ex parte imperantium* Remp. attingit.
 Quâ ratione verò in *Democratia* non mi-
 nus distinctio Majestatis personalis & rea-
 lis invenire locum possit, *precedenti Cap.*
 ostensum est. Cessant igitur tradita omnia
 Doctorum, quæ hisce adverfantur; veluti
 quòd Majestas *realis* sit in *Legibus Imperiis*
 (nam hæc modum tantum, Majestatem,
 sive personalem sive realem, exercendi, *ex*
pactò definiunt; ut hòc solum Princeps
 stringatur, & potestas ejus: non teneatur
Majestate reali, quæ in Legibus illis seu
 pactis resideat, quasi à populo illis indita
 sit:) non minus, quòd *Dominatus* non ha-
 beat Majestatem realem, quippe quòd hæc
 maneat etiam, licèt perperam exercita-
 tur: porrò, quòd mutatâ formâ corruat Maje-
 stas realis: nam & sic *modus tantum habendi*
eam immutatur: item, quòd Majestas realis
 possit se exferere in populo, quando Prin-
 cept subvertere Rempubl. annititur: nam
 ita potius *in hostem* se vertit, & populus in
 libertatem reducitur; pactis videl. Imperii
 ruptis, ut vacuum illud capite habeatur.
 Denique *Statùs Imperii Romani* Maje-
 stem realem non habent; sunt tamen *subje-*
ctum Majestatis commune, quantum ad illa,
 in quibus non tam potestas quàm *potentia*

Imperii conspicitur: estque *Monarchia* Cæsaris vel ob hoc maximè *singularis*, quòd *potentiam* illam, quæ ad exercitium potestatis Imperialis requiritur, Cæsar nisi *per Statûs* non habeat. Sed vide plenius *Dissertat. de Formâ Imperii.*

CURATIONIS.) Verius est utique, nullam *Majestatem realem*, personali extinctâ, *superesse*, eò ipsò, quòd non differunt *realiter*, sed tantùm ratione, seu nostrò concipiendi modo. Igitur ne quidem *curatio Majestatis* est unius alteriusve, tempore, *Interregni*, sed solùm est *Status Magistraticus*, & longè differt à statu *Dictaturæ Romanæ*; quod & *superius* monitum est: nam ibi poterat dici *curatio Majestatis* esse penes *Dictatorem*, eò quòd ipsò *actus Majestatem* verè teneret *populus*.

P.98. A DEO.) Rectiùs statuitur, *Majestatem constituendam*, quoad individuum hoc, esse à *populo*, aut qui eum repræsenterat; licèt *populus ipse* eam non habeat: id quod in *Entibus moralibus* fieri potest, ut quis conferat quid alteri, quod ipse non habet, (secùs ac in *naturalibus*.) Nam & *Patriam potestatem* confert *Arrogatori filius* arrogandus, quam ipse non habet, & *maritalem potestatem uxor*, &c. *constitutam* verò unicè pendere à Deò, quia *populus voluntate*

tate suâ, quâ in rebus Imperii valuit, penitus semet abdicavit; licet se non abdicaverit voluntate omni, & sic non eâ quoque, quâ pactum cum Rege seu Capitulationem iniit, quod *Hobbesius* voluerat.

DE JURE REGIO.) Scripsit de Jure Regio Hebræorum *Wilb. Schickardus*, & tamen malè vocem Hebræam ibi morem denotare tradit: quem significatum consequentia in eo loco non patitur. Nuper successit in eô genere Tractatus *Wandelini*, editus Hafniæ, de Jure Regio.

QUO ETIAM JUS BELLI CONTINETUR. P. 101.
Sed hoc falsum est, si referatur ad facultatem puniendi gentes, quæ nulla Genti in Gentem competit: cum poena sit effectus *Majestatis*: falsum quoque, si ad defensionem sui, vel ad repetitionem ablati, bellum suscipiatur: nam utrumque *Juris naturalis* est, & adversus pares quoque valet; indeque *Majestati* perperam imputatur. Quando autem *Jus belli* refertur ad Cives, ratione *sequelæ*, (*der Folge*), quod Princeps possit cives periculo vitæ, dum eos in bellum cogit, subjicere: ita quidem est *Majestatis*, sed tamen malè ad *Jus vitæ & necis* refertur: quin potiùs ab eo discernendum est, cum prius illud ad supplicia respiciat.

P.102. A DEO ORDINEM IMPERANDI PARENDI-
QUE.) Sana sunt hæc, & rectè afferitur or-
dinem hunc *in thesi*, seu in abstracto, à Deo
institutum esse, DEUMque peculiariter
concurrere, etiam in eo, quando populus
Majestatem huic vel illi confert, seu quan-
do thesin transfert ad hypothésin.

PONTIFEX PRAETENDIT POTESTATEM.)
Saltim *indirectam*, ut eam moderari pos-
sit, ne officiat, imò ut commodet, statui
Ecclesiæ. Et in hoc etiam fundat Ponti-
fex potestatem subditos *relaxandi ab ho-*
magio, quando Princeps Ecclesiæ, seu po-
tius Sedi Papali, adversum se gerit.

P.103. DE VIOLANDO REGIBUS SACRAMENTO.)
Videatur *Dissertatio* elegans *Georgii Hor-*
nii inter *Dissert.* ejus *Polit.* adversus *Mo-*
narchomachos.

P.104. DE REFORMATIS.) Detegit scenam
hanc Reformatorem, cum primis tempo-
rum superiorum, ubi nec dum efflorescere
poterant, *Dannbauerus* in *Hodomoriâ Cal-*
vinianâ.

AMBIGUO NOMINIS SONO.) Sic enim
Majestas tribuitur *Regi Poloniae*; in quò
tamen non est nisi *Dignitas* Majestatis,
Potestatis verò *Jura aliqua*, & cæterorum
Potestas directrix in Comitibus.

AN

AN DE MODO HABENDI.) Modus habendi quandoque *objectum* respicit. Sic enim dicimus Regnum, *patrimoniale* liberius esse, ut & *successivum*, ex parte Principis, quàm usufructuarium, itemque electivum. Aliquando ad *formam* refertur. Ita verò *Regem* oportet dici eum, cui *exercitium*, quamvis *limitatum*, Majestatis competit. Nam ita quidem *modum* ingrediuntur alii; ipsum verò exercitium *soli* nihilominus imputatur Regi, & absque hoc ne quidem Rex ille foret.

ETIAM JURATAS.) Non enim *libertatem* impedit *necessitas obligationis*; sed *licentiam*, & *juramentum* nihil addit negotio, nisi firmitatem majorem; atque ex hinc per se *Majestati* non officit: quippe quam *constringi* posse ex *Jure Superiori Nature* vel *Gentium*, & *vinculis eò jure universali validis*, satis constat. Officere autem potest *Majestati objectum*, super quò jurat Princeps, quoties illud ex *Majestate* quid *detrahit*, quod deferentes eam sibi retinent.

AN PRINCEPS AUT REX.) Legibus P. 106. civilibus ne quidem quoad vim *directivam* tenetur; nisi quatenus *materiam* habent ex *Jure supernò*, *Naturali* vel *Gentium*; qualia sunt jura *Emtionum* *Venditionum*,
Do-

Dominiorum &c. Reliquis, quæ *merè arbitrarie* sunt, solutus est simpliciter in actibus propriis. Sic v. g. non adstringitur, ut solenniter testetur; Actus verò civium suorum ad eò subjectos esse vult Legibus illis, ut ne Ipse quidem ex negotio, quod à cive, neglectis Legibus his, susceptum est, v. g. ex testamento *nullò*, quid capere velit. Sed *Leges fundamentales* non sunt leges formaliter; quia non sunt à Majestate, *vi Imperii*. Et dicuntur solùm *Leges effectivè*, quòd sint *modus Regiminis*, & *paciscentes utrinque ad instar Legis* stringant. Non etiam sunt *Civiles*, eò quòd efficienter à Majestate, *quà tali*, non pendeant: quin potius ipse *populus* eas *cum Principe* constituendo vel constituto *per pactum* erigit. Rectius *Civitas*, quippe quòd non hanc solùm pro *objecto* habeant; verùm etiam *per Civitatem* initio consiciantur.

P. 108 DE DICTATORE.) Quando illum *Majestatem* habuisse statuit; non attendit, quòd plerumque potestas ejus *annua* fuerit. Et *doisane*, contra quàm *Grotius*, duratio seu *perpetuitas* ad Majestatem utique requiritur: quòdque Dictator Majestatem non habuerit, sed solùm *Majestatis exercitium*, *alibi ostendimus*, Confer *Ulric. Obrecht.*
de

de extraordinariis Populi Rom. Imperiis.

AN SOLUS IMPERATOR ROMANUS.) P. 109.
 Quasi nim. Regibus cæteris Majestas non
 competat. Quò pertinet etiam, quòd
 Imperatorem *Dominum mundi*, ex l. 9. ff.
hic citatà, constituent. Illud tamen asseri
 potest, quòd Majestas Cæsaris dignior sit
 aliis, nec non quòd ipse sit *Caput Christia-*
nitatis, & hinc *Director Conciliorum*.

DE VASALLIS. &c.) Quod *partitionem*
 attinet, quam Domino debet Vasallus:
 illa ex *obligatione* quidem *personali* profi-
 tiscitur, sive ex *conventionem* & *jure rerum*.
 Unde & pecunià seu *patrimonio* inobedi-
 entia lui potest, ad summum amissione
 feudi. Sed non est *ex jure status* seu *per-*
sonarum, indeque *subjectionem* non infert;
 sicut etiam non *omnimoda* est, ut subdito-
 rum: (liquidem his *in omnibus* & *per o-*
mnia imperari potest;) sed solum *quoad*
rem feudalem. Unde nec *Jurisdictio* ultrà
 hanc porrigitur: quam & propterea *Cle-*
rici agnoscunt, qui tamen aliàs à *Jurisdic-*
tionem omni se *exemptos* esse volunt.

DE ALSATIA GALLIS..) Et in moder-
 nis Comitibus, cum *Rex Gallie*, nomine *Co-*
mitatus Burgundie, votum in Senatu Im-
 perii affectaret. vid. *Momenta delibera-*
tionis in Electis Fritschii.

CAP.

De

Juribus Majestatis.

P. II. O. MAJESTATIS POTENTIALIBUS.) Quæ inter se non differunt formaliter, sed *objectivè*: ita ut *totà Majestas* dici possit occupari, dum *Bellum* indicitur, *Lex* fertur, &c. Nam ea natura est *totius potestativi*. Est quoque dispiciendum, cui in Republicâ *effectus* tribuatur. Nam hoc fieri non debet circa eos, qui in *modum exercitii* adhibentur; sed potius imputandi sunt effectus ei, qui *exercitium Majestatis*, & ipsam adeò Majestatem, habet, aut in partem ejus, tanquam *causa sociâ*, assumitur.

MINORA.) Quæ tamen distinctio ad *Regalia* transit. Horum nomen verò non ampliùs tribuitur *Juribus Majestatis*, sed potestatis *subalterne*. Dicuntur autem *Minora*, non quòd æqualem vim potestatis non habeant, cum majoribus; sed quòd ad *Emolumenta* solùm respiciant: majora verò ad *Dignitatem* & decus Majestatis, quæ scil. ex illis magis, quàm ex illis pecuniariis, & magis ex *vi ipsâ*, quàm ex *mediis* eam sustentandi, resplendat.

MUL.

MULTA COMPLECTEBANTUR.) Quam- P. III.
 vis enim *Jura Majestatis*, à Politicis non
 minùs quàm à Jctis, numero penè definitò
 & appellationibus receptis designentur:
 certum tamen est, posse indies illorum ju-
 rium *plures species* accedere, vel saltim
 non ea definitò numerò concludi posse.
 Id quod non minùs in *Juribus Superiorita-
 tis territorialis* usuvenit. Equidem ple-
 raque talia ad potestatem *Leges ferendi*
 ideò referuntur, quoniam tota vis Maje-
 statis, saltim *interne* seu ad Cives relata,
 vel in jure *constituendò* vel *reddendò* eò, seu
 in Judicandò *secundùm Jus* illud, consistit;
 sicut eò *Lampadius* omnia *Jura Majestatis*
 in *Tr. suò de Republica Rom. Germ.* retulit.
 Sunt etiam aliquando jura, cum primis
 circà *commoda æconomica*, quæ aliquandiu
 privatorum sunt, à Principibus verò dein-
 cept arripiuntur, & in numerum Jurium
 Superioritatis (idemque de Majestate dici
 potest,) pertrahuntur: ut sunt, *Jus Sali-
 narum, Mineralium aliorum, Oenopolii, &
 sim.*

IN PARTES SUBJECTIVAS.) Hoc est eas,
 quæ pro distinctione personarum illa exer-
 centium, *divisim* haberi possunt; ut in
mixta Republicâ occurrit: quam quidem
rectiùs compositam appellamus. *Partes*
 verò

verò *objectivæ* Majestatis sunt ipsa *Jura* e-
jus, quæ pro variis objectis distincta nomi-
na sortiuntur, & hæ quoque partes, inter
subjecta live personas imperantes, in Statu
mixtò, distribuuntur, seu *divisim* haben-
tur. Rectè etiam dicitur, *partes* Majesta-
tis quidem *objectivas* esse in Statu *simplici*,
sed in eodem non sunt *partes subjectivæ*;
nec in Monarchiâ, nec in Polyarchiâ:
quippe quòd Optimatum quilibet v. c.,
Majestatem non partitim & divisim, sed
indivisim cum cæteris Optimatibus ha-
beat.

P.112. MAJESTAS REGIT CIVITATEM.) Sed
multa habet hæc distributio, quæ rem con-
fundunt. Nec enim Judicia tantùm pri-
vata, sed etiam *causæ publicæ*, iisdem subji-
ciuntur. Et *H. Grotius*, quando in distri-
butione illâ facultatum, *Legislatoriam*,
in universalibus occupari tradit, *Consul-
tativam*, in publicis, & *Judiciariam*,
in privatis obtinere voluit: in eò lapsus
est, quòd *totam judiciariam* ad *privata*
redigere non debuerit, ut nec per conse-
quens Jctos sive eos, qui Judiciariâ pru-
dentiâ valent, arcere ab *universalibus*; vi-
cissim prudentiam, vel etiam potestatem,
Legislatoriam excludere à *judiciis*. Est
quoque in eo vitium distributionis, quòd
omnia

De Juribus Majestatis. 65

omnia ea, quæ ad *Majestatem* pertinent, ad unum membrum, quò *per se* agit *Princeps*, referat; & nihil adeò superfit, in quo *Ministeria Majestatis*, puta *Magistratus*, *Curatores*, &c. occupentur: cùm tamen ipse quoque *Princeps* agere censeatur, quando agit *per alios*; neque actiones seu expeditiones *Magistratum* peculiare *Majestatis* jus conficiant: constitutio verò *Magistratus*, *Legatorum*, vel similium immediatè ab ipso *Principe* procedant.

QUI SAEPE NEGOTIANDI CAUSA.) Et P. 113. tamen hæc etiam, sicut tota ratio *commerciorum* cum externis, *Jus Majestatis* peculiare constituit, distinctum à *fœderibus*, *Belli* causâ suscipiendis. Procedit etiam ista in *Principe*, quâ talis est, ut saltim *Majestaticè* disponat *intra Civitatem* illa, quæ ad *commercia*, licèt cum exteris habita, referuntur. Aliàs enim non protinùs *fœdera* illa *Majestatem* inferunt; ut apparet ex *fœdere Hanseaticò* & aliis.

SUBJECTUM EXISTENTIAE.) Hoc est *personæ* imperantes, quæ ordinem *Reipubl.* (quò *essentia* *Civitatis* constituitur,) gubernant, seu penes quos *Majestas* residet.

COMMUNICARI.) Scil. ut illa habeant, juxta *Principem*, *independentè*, vel ut *causa sociæ*. *Per delegationem* enim utique

E

EXER-

exercere possunt Jura Majestatis, etiam v. c. Comites *Palatini*, vel potiùs eadem per eos exercet Cæsar. *Statùs* verò Imperii non possunt dici *communicata* habere jura Majestatis, in suis territoriis; sed potiùs, quæ olim fuerant Jura *Majestatis*, penes Cæsarem, in terris illis Principum: ea deinceps in Jura *Superioritatis* transierunt; quibus nunc non ampliùs utuntur nomine Cæsareò, sed *suò* & *proprio*, eòque *patrimoniali*, quamvis *dependenter*, & per recognitionem à Cæsare & Imperiò; indeque hòc respectu jure *alienò* & *beneficiariò*. An verò Cæsar communicaverit cum Statibus jura Majestatis, in regendo *universò* Imperiò, de eò *alibi* agitur.

P. II4. ADFERUNTUR.) Illud certum est, ea quæ Cæsari tribuuntur, non posse cum *Hypolubo à Lapide* formulæ tantum aut splendori, vel, ut *Bodinus*, administrationi, aut quod *Monzambano* vult, directioni fœderis tribui.

C A P. III.

De

Jure Legum ferendarum.

ETIAM

ETIAM NOVAS ALIAS FERRE.) Et ipsas P. II. 5.
E Leges Mosaias forenses seponere, qua-
 tenus Reip. nostræ non congruunt. Hinc
 frustraneum est, de *pœnis criminum* ex Le-
 gibus Mosaicis disputare; nisi quòd non
 facile pœna *capitalis* cuiquam imponenda
 sit, cui illa in Republicâ Hebræorum im-
 posita non fuit. Aliàs pœna ipsa necessi-
 tatem continet, ut perpetuò verum sit, cri-
 mini alicui pœnam inferendam esse, ut ta-
 men propterea modus pœnæ moralis non
 sit; sed pro diversâ Rerump. & delinquen-
 tium conditione aut frequentia, immuta-
 ri possit, còque intuitu *forensis* sit.

SINE NECESSARIO SUPERIORUM CON-
 SENSU.) Imò non officit *necessitas requiren-*
di Inferiorum, v. c. Ordinum, *consensum*,
 potestati Majestaticæ Legem ferendi; sicut
 non officit *Superioritati territoriali* Princi-
 pis, quando legem, seu *Statutum* provin-
 ciale, non condit aliter, nisi prærequisitò
 consensu Statuum provincialium. Ipsa
 enim deinde promulgatio legis, & vis ejus
 Majestatica, *in solidum* pendet à Principe;
 sed consensus Statuum *conditio* tantum est
sine qua non: quæ rationem causandi, sive
 ut eidem effectus, tanquam causæ, directò
 imputetur, non conficit.

P.116. QUAE POSITIVI JURIS.) Nam *Jus commune* non ideò obligat, quòd in Legem redactum à Principe *promulgetur*, sed ideò Lege edicitur, quia jam antè vi suâ obligat; tantùm quòd effectus & vis quædam specialis ei circumponatur; addatur etiam aliquid vel detrahatur: quæ tamen *detractio* qualis sit, & quòd immutabilitati Juris universalis nil officiat, in *Comment. π. ad tit. de Just. & jur.* ostensum est.

PACTIO CIVITATIS.) Ita in *l. 1. & 2. de Legibus*, quæ non tantùm *Democratia*, sed etiam *Monarchia*, congruunt; in eum sensum, quem hîc *Auctor* admittit. Removenda autem est *Hobbesii* doctrina, qui nullum *jus* esse putat, ne quidem naturale, ante *Civitatem*: neque confundenda hæc sunt cum *Cassendi* doctrinâ, quam hîc *Auctor* refert. Nam hæc de *coactione externâ* accipienda est: cùm quidem *jus commune* extra *Civitatem* nonnisi vim cogendi *internam* habeat.

P.117. JURIS NATURALIS DESCRIPTIONEM.) In *pr. list. de J. N. G. & C.* quòd quidem *Jus ratione omnivacuum* est, etiam *quoad hominem*. Videlicet quòdcunque rationis in dictamine illo reperitur, circà actûs ab *Ulpiano* *Juri* illi suppositos, illud omne ad *Jus gentium primarum*, seu *Jus naturale secundum*

De Jure Legum ferendarum. 69

secundarium, soli homini proprium, redigendum est. *Ulpianus* autem actus solum ejusmodi, quibus *individua* semet defendunt, & *speciem* propagant, segregavit: ut homines eorum majorem curam habeant; (quippe per quos *Societas* primò conservatur,) si adverterent, bruta ipsò *impetu naturali* circa istos adeò sollicita esse, ut ratione quasi eo induci videantur.

CONNASCITUR NON ACTU SED POTENTIA.) Rectius dicitur *actu primo*, ad instar *habitus*; ut tamen in actum secundum seu operationem, non nisi cum progressu exercitii rationis, deducatur.

JUS GENTIUM VOCATUR.) Ita ut appellatio utraque in *idem Jus* cadat; quod tamen accuratius *naturale* dicitur: quoniam ad causam *efficientem* potius in hoc conceptu, quam ad *subjectum* respiciendum est. Interim *natura* solum latò modo dicitur dictare jus naturale: accuratiori verò intuitu *natura* potius normatum est seu *dirigendum*, quam *norma*; ut ad *Huberum* notavimus.

INDAGANDI.) Tam à *priori*, quam à *posteriori*. Et hoc quidem à *Gentium moribus*: quem modum *Scharrokus* præ cæteris arripuit, in *Tr. de Offic. secundum Jus Nat.* eoque pertinent testimonia *H. Grotii*

ex Philosophis, Poëtis, &c. passim de prom-
pta & Gronovio diligenter examinata.

ADEOQUE LEX POSITIVA.) Sunt tamen,
qui in hoc etiam præcepto *moralitatem*
contineri docent; in eccl. quòd oporteat
Deo ex septem diebus *saltem unum* in so-
lidum tribui. Cœterùm quid distet Lex
moralis à naturali, & quanam sit ratio
Præceptorum *Noachidis* datorum, ad Hu-
berum plenius exponitur.

P.121. ARBITRIO SCILICET STATUENTIS.) Ita
ut objectum proprium legis positivæ sit
actus indifferens, qui ante legem nec bo-
nus nec malus moraliter haberi pot-
est.

P.123. LEGES SE HABEANT.) Nec tamen *lex*
injusta eximie & ἐξαιρέτως Lex dici potest,
ad Definitionem scil. Thomæ, pag. præced.
propositam, & materiam, in fine §. seq.
sed tamen *efficienter*, *formaliter* & *effecti-*
vè. Et quidem quoad *formam* non nisi
externam; ut in §. *Quod dictum, b.* infe-
rius.

P.125. QUAE GROTIUS HABET.) Ubi accen-
set Legibus illis, das *Strandrecht*: quod
quidem non receperunt LL. *Romane*. vid.
Authent. Navigia. C. de Furtis. Sunt verò
distinguendæ leges *duræ* (v. L. 12. §. 1. *Qui*
est à quibus manumiss. s. t. ad SC. *Silania-*
num,

num, Legem Majestatis, &c.) ab injustis. Quamvis autem huc referat *Auctor* Legem de corpore debitoris obæratu inter creditores dividendo: tamen illa nunquam in usum deducta est. v. *Mevium ad Jus Lube- cense.*

CATALOGUM PONUNT.) Pertinet huc Tractatus *Mesterti* de *Justitia LL. Romanarum*, & adversus eum *Cypriani Regneri.*

IN GERHARDI CONFESSIO NE CATHOL. P. 126. add. *Wissenbachium de Contradictionibus Juris Canon.* sed & *Praxin* nostram *Juris Canonici*, in quâ plurima Canonum & Canonistarum, adv. *iniquiores Censuras*, vindicavimus.

JURA NON IN SINGULAS PERSONAS.) P 129. L. 8. ff. de Legibus. At verò non agit *Illipianus*, de *Privilegiis*, quippe quæ jure *Justiniano* non inhibentur; sed hic est sensus dictæ Legis, quòd leges universales non sint immutandæ, nec cessent, si vel maximè ratio earum impulsiva non in quolibet individuo deprehendatur. Hinc enim minor v. c. restitutione in integrum, quæ generaliter minoribus prodita est, frui potest, licèt prudentissimus ipse fuerit: mulier *SCro Vellejanô* adjuvari, licèt nullâ imbecillitate animi, ut reliquæ sexûs sui, laboret. Differunt etiam *Jus personale*,

Jus *singulare*, & *Privilegium* personarum. Nam *Personales* Constitutiones dicuntur Justinianéo jure, quæ vel individuo vel corpori aut familiæ, sub nomine proprio, indulgentur: *Privilegia* verò, quæ personarum ordini sub nomine appellativo, v. c. Clericorum, Militum, Mulierum, tribuntur: & hæc appellamus privilegia in Corpore Juris clausa. Sed & privilegia *causæ* sunt: ut Causæ piæ, Ecclesiæ, Dotis, &c. *Singularia* deinde Jura sunt, quæ ratione Subjecti quidem, velut civium, universalias; sed ratione formæ, singularia sunt, quòd sc. à ratione regulari recedant. vid. l. 16. de Legibus. junctâ l. 15. de Rebus creditis.

P. 129. DISTINGUI BENEFICIA ET PRIVILEGIA. v. §. 6. Inst. de J. N. G. & C. in verbis: *Siquam pœnam irrogavit*: Et tamen ibi non tam privilegia strictè & in sensu Justinianéo, sed potius Constitutiones personales habentur.

P. 132. DE INTERPRETATIONE LEGUM.) Interpretatio Legum *authentica* solius Principis est; quò & *usualis* pertinet: quæ ex pravâ interpretatione Legis in vim juris non scripti invalescit. Unde frustra *Errores* plures *pragmaticorum*, si qui usu fori

fori invaluerunt, inter cœteros tollere nititur *Anton. Faber*, spissô opere.

CAUTELA.) *Adde*, de Auctoritate præjudiciorum, præfationem *Mynsingeri* in *Observationes* suas, & *Sandii* in *Decisiones Frisicas*.

SCRIPTA VEL NON SCRIPTA.) *Distri-* P. 135.
butio in *Legem* vel *Consuetudinem* est *Juris* in genere. Sed non æquivalet ei, quâ *jus* in scriptum & non scriptum distinguitur. *Romani* enim qui *jus* scriptum vel non scriptum habent: non habent *Legem* nisi *scriptam*. *Non scriptum* v *Jus* apud ipsos ne quidem *consuetudine* solâ absolvitur, sed eò quoque *Ritus*, *Observantia*, *Stylus*, ut & *usus Fori*, ex præjudiciis, pertinent: quam hæc etiam latiori *Consuetudinis* appellatione veniant.

TANQUAM LEX FUNDAMENTALIS.) *Ma.* P. 136.
lè dicitur, *Legem* fundamentalem à *Majestate* pendere: siquidem ab hæc non habet vim obligandi; sed à *Jure superno*, & imperiô, quod *Majestate Principis* superius est. Etenim *Princeps paciscentis* vicem subit eò ipsô, quô super modo imperandi cum populo contrahit; saltem quòd non sit *pactio illa super re promercali*, sed super *Majestate*: indeque non possit per
E s omnia

omnia ex jure contractuum censerent. Est quoque falsum penitus, quod Auctor pag. seq. tradit: Posse Principem Legem fundamentalem *mutare*; tantum quod non debeat. Nam utique Majestas suo modo *infra Legem* illam *fundamentalem* constituta est.

P.139. PIETATIS VOCABULO.) Quem locum habeat *Pietas*, inter Virtutes *Ethicae Christianae*? & quod cum *Justitiâ* non æque late pateat; nec etiam *amicitiæ* accenseri possit: ad *Zapffii Tabulas* notavimus; ubi etiam de *Patientiâ*, *Charitate*, &c.

CAPUT IV.

De

Potestate circa Sacra.

P.143. OMNIA HAEC MAJESTATI ADIMUNT.) Ipsi quoque *Pontificii* per hypotheses suas, in Principibus suæ religionis, Superioritatem multò *arctiorem* conficiunt; dum extendunt *Jus Episcopale*, *semotum* inter ipsos à *Superioritate illâ*, ad plura, quæ inter Protestantes *externæ*, & sic *temporalis* sive *secularis* potestatis, habentur. Equidem Protestantes *Ministerium* unice relinquunt (*Verbi & Sacramentorum*)
 Cle.

Clero suo, reliqua verò sibi & Regimini suo vindicant, & quidem ea quoque, quæ ad Ecclesiam *integram*, nec solum ad *Principem*, quæ talis est, pertinent. Nam illa quidem per *Consistoria*, tanquam Ecclesiam *representativam*, & quæ ex Statu utroque, *Sacro & Seculari*, mixtim constituta sunt, curantur; indeque suo modo ad *interna* quoque procedunt, v. g. in dijudicando doctrinas, in directione rituum sacrorum, in coërcitione pœnitentiali, seu censuris; velut excommunicatione, Interdicto, & similibus. Quæ itaque *Princeps* agit, ut talis, illa ad potestatem *externam* respiciunt: & quæ dirigit ministerium. *Episcopi* nomen sortitur; quæ verò agit ut *primus Ecclesie*, quorum est maxima pars eorum, quæ in *Consistoriis* occurrunt: illa ad potestatem *internam* quoque porriguntur.

SUMMATIM.) Quoniam *Catholici* ad P. 143.
Jus Episcopale, quod illi maximè extendunt, omnia ea, quæ ad *Sacra quovis modo* pertinent, referunt: ideò vid. in *Analectis ad Desselii Jus Canon.*, quæ circa *distinctionem* ejus *Juris* annotavimus.

Jurisdictione.

P. 147. **P**ER PARTICIPATIONEM.) Rectè habet, si in termino *Majestatis Internæ* defixi simus. Aliàs enim *Jurisdictionis* tota quantitas *ministerialis* est, & essentialiter in *Magistratu*, in Principe verò *eminentèr* tantum & *virtualiter*, nequaquam *formaliter*, reperitur.

P. 148. **JURE CIVILI.**) At verò civili *Romano* jure notio illa, quam *Magistratus* habet, ipsa quoque est *Jurisdictionis*; sed quia *Judex pedaneus* habet, *judicii tantum*, est, & citrà potestatem *jus dicendi*, hoc est, citrà *Imperium*; indeque *facti* dicitur, super quo sc. unieè *Judex* ille *judicat*, cùm *jus* ei, quod super *facto* decernendum est, à *Præatore* per formulam *dicitur*.

EXTREMUM IN JURISDICTIONE.) Perperam *Auctor* hanc formulam explicat, quæ in *tit. si quis jus dicenti non obtemp.* occurrit: nam ibi *extremum* dicitur *quodlibet*, à *Magistratu* uni parti alterivè *injunctum*, ut si ei non pareat, hóc ipso dicatur *in extremum* res *deducta* esse. Aliàs *Imperium mixtum* non *executionem* denotat, ut
Auctor

Auctor hinc inferius, sed virtutem & potentiam cogendi seu coërcendi, quæ inest jurisdictioni, indeque *mixtum* dicitur; ut exserere se possit, quando opus est. Et tamen Jurisdictio quoque *extraordinaria*, & in hac Jurisdictio *voluntaria*, suum habet *Imperium*, cum nulla Magistratûs *potestas* sine imperio sit: atque hoc imperium vel *simpliciter*, vel *civile*, item Jurisdictionis *extraordinaria*, dici potest. Tota verò ratio reddendi jus in *Criminalibus*, tam in cognoscendô, quàm in exequendô, unius *meri imperii* nomine absolvitur, eò quòd semper ad coërcitionem tendat.

PER PARTES ILLAS ESSENTIALES.) Ma P. 149.
Iè dicuntur partes *essentiales* Majestatis: nam hæ non possunt esse ultrâ duas, & habent faciem *materia & forma*; quale quid in *toto potestativo*, sive Majestatis sive etiam Jurisdictionis, non reperitur.

JURISDICTIO AC MERUM IMPERIUM.)
Hæc verò in Jure Romano adeò dissident, ut nunquam *meri Imperii* nomine veniat *jurisdictio*, & vicissim. Et licet *hodie* nomine Jurisdictionis in *Criminalibus* quoque utamur; tamen ne per hoc quidem confusio rei ipsius inducenda est.

QUAESTIONE PER TORMENTA ABUTENDO.) Num *Augustinus* alique, & quousque

usque illi tormentis *adversi*, fuerint? vid.
Tabor. C. 1. de *Questionibus*.

P.151. PROBATIONES INNOCENTIAE.) Purga-
tionem *vulgarem* appellant Canones. vid.
tot. tit. X. & quæ ad Huberum d. *Jure Ci-*
vitatis. notavimus.

P.153. ACCOMMODARETUR.) Imò nullibi re-
peritur, quòd mixtum *Imperium* dicatur
in relatione *ad constitutionem Juris*. Li-
cèt enim *Prætor* videri possit *edicto* suò jus
quoddam statuisse; tamen *vigor* potius,
& ut pro jure istud haberetur, à *populo*,
qui moribus *Edicta* illa probabat, quàm à
Prætor & ex jurisdictione ejus, processit.
Principis verò potestas Jus constituendi, à
potestate juris reddendi, planè diversa, nec
ullibi *Jurisdictio* seu *Imperium*, ex utraque
potestate *mixtam*, appellari videmus; ut
nec *merum Imperium* aliud, quàm in Ma-
gistratu, reperitur; ita dictum, quòd Ma-
gistratui quàm tali non competat, sed à Ju-
risdictione penitus *vacuum* sit, & speciali
lege, indeque *non ordinariò jure* Magistra-
tùs, deferatur; sicut Auctor p. 149. §. *ad*
Majestatem ergò. rectiùs docuit.

P.155. EA QUAE AD PROCESSUM.) Qui ta-
men & ipse in se *essentiale* quoddam *judi-*
ciorum conficit: cùm *Judicium* sit causæ
disceptatio. Quæ verò solennia in pro-
cessu

cessu pleno & ordinario admittuntur: illa quidem abesse possunt à Judiciò, in genere & in *thesi* spectatò: interim ad essentiam seu *substantiam* judicii ordinarii & ipsa pertinent.

C A P. VI.

De

Jure Magistratum
constituendorum.

QUI IN JURE DICENDO OCCUPANTUR.) P. 157.
Et tamen sensu *Romano* de *formali Magistratùs* est *Jurisdictio*, cui cum insit Imperium, mixtum scilicet: hinc qui *majus Imperium* habent, *maiores*; ceteri, qui gradus tantum minoris Imperii exercere valent, *minores* appellantur. Planè illi, qui *Imperium merum* habebant, neque *Magistratùs* eo respectu dicebantur.

AUCTORITATE CONCESSA,) Huic imputant Monarchistæ in *Imperiò Rom. Germanicò*, quando in *Circulis v. c.* Directores, Duces, Adjuncti, per conventus seu Comitia circularia conspiciuntur.

JURE MAGISTRATUS DELIBERAT ET P. 159.
IMPERAT.) Non modò *prudencia* sed & *potestas* Judiciaria, à *consultativa* distinguitur. Istam exercent *Magistratùs* seu
Judi-

Judices: hanc *Senatores*; à quibus *Confiliariorum* nomen distinguitur, quòd hoc sit *ministerii*, nec unquam tribuatur illis, qui *votum Decretorium* habent, & cum pondere auctoritatis. Apud Romanos *Senatus*, seu Corpus Senatorium, tale fuerat, è quo plerique Magistratùs legebantur; *Senator* verò quà talis, Magistratus non erat, & plures etiam ex *ordine plebejo* in *Magistratùs* desumebantur. vid. Comment. ad Tit. *ii. de Senatoribus*. Differunt ab his omnibus *Officiales*, qui nempe ad Ordinem Reipublicæ tuendum, *Oeconomicum* etiam, & *citrà Jurisdictionem*, seu cognitionem *Judiciariam*, occupantur: & hinc *Distinctio Magistratum & Officiorum* in *Jure publico* quoque *Rom. German.* evidens est.

C A P. VII.

De

Jure Belli & Pacis.

P. 163. **A**RMANDIAE.) Quæ vox reperitur in *Jure Feudali* inter *Regalia*, Principibus *Imperii Rom. Germ.* ut & *Statibus Italiae*, concessa. Undè rectè asseritur, non æquè latè patere *Jus Armandiarum & Belli*. Nam *Statùs Imperii*, quà tales sunt, & maxime

ximè singuli, habent quidem Jus *Arman-*
diarum, id est, armorum: (quò totus *ap-*
paratus bellicus, in Militibus, armamenta-
riis, munitionibus, & aliis pertinet,) id-
que ob *potentiam* eorundem, quâ Ipsi sinè
exemplò pollent. Sed non habent Jus *Bel-*
li; quamvis singuli, etiam ad exteros relati,
potentium nomine, & instar Regum, ha-
beantur. Nam versus *Imperium Rom. Germ.*
semper hoc Jus, seu facultatem hanc, pre-
mit vel coërcet *fides illa subjectionis*;
quam perperam nonnisi *pactitiam* aliqui
esse volunt. Nim. hâc illi *Imperium* ubi-
que respicere & vereri, *ex Imperiò etiam*,
tenentur.

AN CONTRA IPSUM IMPERA- P. 164.
TOREM.) Disceptatio hujus argumen-
ti vel maximè apud *Hortlederum*, in cau-
sâ *Fæderis Schmalcaldici*, & apud *Lun-*
dorp. in *causa Palatinâ*, reperitur. Ulti-
que Statûs Imperii non *absolutè* Cæsari
subjiciuntur; cum primis verò *libertatem*
conscientiæ ab antiquo sibi vindicant.
Quin & in Cæsare *causas domesticas* ab
his, quæ *Imperii* sunt, distinctas haberî
cupiunt. Quâ ratione semper *Pal-*
atinus protestatus est, se non Cæsarem sed
Ferdinandum Austriacum, & *Schmalcaldi-*
ci fæderati, se non *Carolum V.* Imperato-
rem

rem, sed *hostem libertatis Conscientiarum*, repellere. Interim etiam hoc Bellum *verè Majestaticum* dici non potuit; sed tantum *faciem Belli* referebat, ac *defensione materiali*, ut & *paëtitia*, nitebatur. Nec enim facile statuere licet, quòd in *libertatem omnimodam* Fœderati se vindicaverint. Imò, ut *Status Imperii*, adversus Carolum V., etiam *quà Imperatorem*, jus *resistendi* intrà modum habebant.

C A P. IIX.

De

Jure Fœderum faciendorum.

P.166. **S**PONSIONEM.) Hanc unicè *Duces* *Sexercituum* conficiunt.

C A P. IX.

De

Dominio eminente.

P.167. **M**INORA.) Et rectè quidem, quòd *tributis*, emolumentum *Pecuniarum* Principi conciliatur; adeò ut ne quidem *distinctio* illa *Quorundam* admittenda sit, qui putant, *indictionem* *Contributionum*

Jus

Jus regale *majus*, ex *actionem* verò regale *minus* esse: cùm tamen ad extremum cujusque juris, seu *terminum actionis*, respiciendum sit. Coeterùm *Dominium eminens*, ut non est peculiare *Jus Majestatis*, sed, juxta cum *Imperio eminente*, *extraordinariam* *Majestatis facultatem*, eamque *universalem*, conficit, quæ ad quodlibet *objectum* *Majestatis* exercendæ porrigi apta est: ita malè dicitur, quòd per se *Regale* quoddam *minus* constituat.

PRO QUO VOLUNT IMPERIUM SUB- P. 168.
STITUERE.) Utrumque admittendum est: ut *Dominium* ad res, *Imperium* verò ad personas, (quippe quòd hæ agnoscere *Imperium* eique *obedire* possint; res autem *Imperii* admittendi capaces non sint:) referatur. Utramque speciem complecti licet sub uno genere *Manûs Regiæ*, seu potestatis *Regiæ extraordinariæ*.

DE BONIS REGII ALIENANDIS.) Huc pertinet *Choppinus de Domanio*, & nuperæ *Dissertt. Nostratum*, quæ quidem cautè accipiendæ sunt: cùm non liceat omnia illa, quæ *Galli de Domanis suis* docent, ad bona Principum *Germaniæ*, & ne quidem *Cameralia*, ut vocant, adplicare; sicut a libi per *Species quasd.* & *Casûs notabiles* deduximus.

Tributis & Vecti- galibus.

P. 170. **O**PERAE RUSTICAE.) Solent venire in serie Regalium, nomine *Angariarum*, quò operæ ordinariæ, & *Parangariarum*, quò extraordinariæ, intelliguntur; utrumque à græco *ἀγγαρίων* deducunt: vid. Strauch. in *Diss. de Imperio Maris*.

ARNISÆUS.) Breviter in *Analect. ad Tit. X. de Immunitate Ecclesiarum*.

Jure Monetæ, &c.

P. 171. **A**D JUS NOMOTHETICUM.) Adde not. ad Zapff. *Tabb. Pbilos.* ubi de *Jure Majestatis* circà *valorem*, auro argenteve impositum; & quòd *moneta* Juri *Civili* in solidum debeatur: quamv. ex ratione commerciorum monetæ *inter diversas Respublicas* mutuò agnoscantur; cui simile quid occurrit, in aliis quoque *Juribus Majestatis*, v. g. restitutione natalium, collatione dignitatum: &c.

De Judiciis Majestatis. 85

DE MONETIS ET PONDERIB.) v. *Me-
trolog.* Myleri. it. *Miliologiam*, & de *Sta-
diis*, &c. Marsmanni.

DE LINGVA.) v. *Diss. de Idiomate Im-
periali.*

C A P. XII.

De

Judiciis Majestatis.

ADde Jac. Gothofr. ad L. *Quisquis.* C. P. 173.
Ad Legem Juliam Majestatis.

QUID IN REMP., QUID IN SE COM-
MISSUM. Prius Crimen *Perduellionis*, po-
sterius *Majestatis* simpliciter, appellamus.
v. t. t. C. *Si quis Imperatori maledix.*

LIBER III.

C A P. I.

De

Formis Rerumpu- blicarum.

C A P. II.

De

Regno.

LEX SALICA.) Quam tamen ad Suc. P. 177.
lcessionem Regni non pertinere, osten-
dit *Wendelinus* in *Append. Glossarii.*

F 3

CAP.

Tyrannide.

Aristocratia.

Oligarchia.

Democratia.

Statu Imp. Rom.
Germ.

P.188. **E**X LEGE FUNDAMENTALI.) Quamvis enim, pro *genio Imperantium*, variè exerceri Jura Majestatis possint, & *Maximilianus I.* item *Carolus V.* acriter *Monarchiæ* institerint; alii rem egerint *remissius*: sub quibus magis exurgere posse visa est *Libertas Principum*. Tamen hæc ferè pertinent ad ea quæ *facti* sunt, vel saltem

ut

ut exinde *argumenta pro rectitudine Statûs, & veritate ejus*, capere non liceat. Igitur cùm ad *Jus ipsum æquè Politicus*, (quippe qui *Statum Legibus firmatum* Reip. unicè salutarem esse censet,) atque *JurisCons.* respicere debeat; indeque *Auctor* Statum *Quæstionis* rectè ad *Legem fundamentalem* dirigat: non tamen is in eo est sequendus, quando solùm ad tempus *Aurea Bulla* *Quæstionem* restringendam esse putat. Quòd si enim verum est, *idem* ante Auream Bullam fuisse *Imperium*, quod nunc est: quidni ad tempora *etiam superiora*, legesque eorum, attendemus? quòusque scil. per *Leges seu pacta posteriora* immutata illæ non sunt. Imò si ad *Capitulati.* attendatur, & tempora ipsa *Caroli V.*, in *Capitulatione* *Electo* conferatur, *die Ehre/Würde/Macht und Gewalt/ des Römischen Käyserthums /* ut adeò *Cæsar fundatam intencionem in summâ & plenâ potestate Romanor. Cæsarum*, qui unquam fuere, per hoc ipsum sortiatur; & solùm attendendum sit, in quibus & quat. potestati illi *modus*, in articulis *Capitulationum*, positus esse reperiat. Quocircà non opus est, ut ad *Legem Regiam* regrediamur, vel saltim ad tempora *Caroli M.*, quem satis constat *Monarchiam* tenuisse,

& ipsam, quantum ad modum exercitii,
Libertate Procerum temperatam.

P. 191. ADVERSAM PRAESCRIPTIONEM.) Certum est, *praescriptionem*, tanquam reperi-
 tum *Juris Civilis*, non posse locum habere
inter diversas Majestates: (licet illae pos-
 sint invicem allegare *longinquam possessionem*, & hanc niti *in possessorio*; ut tamen *pe-
 titorium*, ex illa temporis diuturnitate, non
 obliteretur:) non etiam intra *Rempubl.*,
in Juribus Imperii, vel ut *subditi* seu pa-
 rentes adversus Principem, in his talibus,
 sive *Princeps* adversus subditos, *contra Le-
 ges Fundamentales*, quid praescribat; quin
 potius illae *usurpationes* dicuntur, quod-
 usque *Lege* firmatae non fuerint: *add.*
int. Caput Huberi de Praescriptione Jurium
Majestatis: & quae *ibid. notavimus.*

LEGIBUS SOLUTA POTESTAS.) Utique
Reinkingius malè infert ab hoc respectu,
 quò *Legibus solutus* esse dicitur *Princeps*,
ad Majestatem absolutè: siquidem unicè
 illud respicit ad *Leges Civiles*, quae ad Sta-
 tum publicum non pertinent: quibus et-
 iam *solutus* esse potest *Princeps*, qui vel
 maximè *adstrictam Majestatem* habet: Est
 quoque diversum argumentum, quod
 à *Lege Regiâ* petitur. Per hanc enim quo-
 niam *Majestas Principi Romano* delata est,
 infer-

inferri utique posset ad *Cæsarem*, si Remp. illa constitueret, quam *Augustus* accepit; quousque sc. Legi illi *derogatum* deinceps non est. Quâ ratione non aded absurdi sunt, qui *Capitulationem* in locum *Legis Regiæ* successisse tradunt: cum certum sit, æquè *Majestatem* deferri *Cæsari*, per *Electores*, Pop. Romano-Germanicum repræsentantes; & quidem ut *Majestati* delatæ, vel potius *Exercitio ejus*, *modum* imponant, quò *licentia* Monarchica, in abusibus præcedentium *Impp.* deprehensa, ad salutem communem *Regni* coërceretur. Cæterum quod inferius habetur, *Cæsarem* debere *reddere rationem* Statibus: illud crudè accipiendum non est; quamvis & *Deus* de se judicari patiatur: vid. *Es. c. 5. v. 3. seq.* *Jerem. c. 25.* rectitudini actionum suarum confisus; quem in modum accipienda sunt, quæ ex *Lehmanno*, & ipsò compilante, *Hippolithus à Lapide* accersivit. v. *Stamler. de Reservatis, pag. 56.* & *Dion. Gothofr. ad rubr. Cod. Ne quis in sua causa;* cujus tradita ad *Judicium Palatini* aptare licet. Multò minùs asserendum est, *Imperatorem deponi* posse; nisi in *hostem Imperii* se verterit, ut *suo loco* dicetur: & tamen hoc non arguit, *Cæsarem* eo minùs *Majestatem* habere.

P. 193. PRO MONARCHA.) Invalidum hoc est argumentum, ut alia quædam *Reinkingii*; nisi quod hoc ipsum Cæsaris Monarchiam à posteriori arguat.

PARTEM MAJESTATIS.) Eodem respectu *Lampadius* docet: *Capitulationem* potestati Cæsaris non derogare, quoniam potestas inibi non nisi dimidiata Cæsari datur. Quod igitur Cæsari datum non est, ait, quoad reliquum sc. Majestatis: illud eidem ablatum esse dici non potest. At verò non apparet ex Capitulationibus, quod Status sibi Majestatis quidquam reservent: non etiam quod Cæsar reserves sibi tantum Jura, in quorum consortium Status non admittit; sed potius, quod Cæsar sibi reserves Jura quædam, quæ solus, non adhibitis Statibus, exercere velit; quoad reliqua verò pleraque in modum Exercitii admittere cum primis *Electores*, & quando Comitiam habeantur, vel ea habere necesse sit, etiam Status cæteros. Illud falsum est, quod *Auctor* cum *Limneo* asserit, ab Imperatore ad Imperium appellari posse; ut ostendimus in *Tr. de Gravamine Extrajudiciali*. Neque etiam quando Comitiorum intercessio apud Cæsarem impetratur, appellationis id faciem & rationem habet: multò minùs quod exinde Imperium quoddam

Co-

Comitiorum in Cæsarem inferri queat. Uteriùs, quando Imperator *Imperii* nomine quid suscipere dicitur, non idem est, ac si *Statuum* nomine hoc ageret: nam Imperium tenet ipse Imperator; nec in genere, nomine *des Reichs/ Statús* veniunt. Et quamvis Statús possint dici *Subiectum Commune Majestatis* constituere: illud tamen potissimùm obtinet in his, quæ ad *exercendam potestatem Imperii* respiciunt, quam Imp. *in actu exercito* seu secundò, saltim *proximè*, pro conditione singulari Imperii, non habet: ad potestatem v. ipsam Majestatis, eamque Cæsari, tanquam subiecto proprio, detrahendam non pertinent.

EX PLENITUDINE POTESTATIS.) Quòd P. 194. si *ordinatam* potestatem Cæsaris intelligamus, sæpè illa sub formulâ hâc, *der Kayserslichen Macht Vollkommenheit* / innuritur: nam Cæsar sibi *potestatem plenam* tribuit. Aliquando tamen formula illa designat potestatem Cæsaris *Extraordinariam*, quâ, in re difficili, da die Stände sich nicht vereinigen können / ut *exitum* causa reperiat, per *extremum potestatis* rem determinat; ut in *N. U. d. a. 1521. S. 29. & alibi*. Quod verò de Imperio *Auctor* hîc ingerit, ex jam dictis modum fortitur: & videtur ille labi, præter intentionem, in senten-

ten.

tentiam illorum, qui in *populò Majestatem* residere docent. Illud verò quod monet, Cæsarem *universo Imperio* non ita, ut singulis, imperare: non magis congruere potest in Cæsarem, quàm in Principem quemlibet alium; de quò non nisi suo modo verum est, quòd *toti universitati* parentium imperet, licet invitam hanc & resistantem *actu constringere* non possit. Et quidem, quòd Cæsar non tantum *singulis* imperet Statibus, sed & *Universis*, (in quo ipso tamen *distributio*, & non collectio, locum, in ratione imperandi, habere potest:) illud ex variis locis & argumentis colligitur: v. A. Bull. c. 2. N. A. d. a. 1566. S. Demnach. N. A. de a. 1530. ibi: unsere Churfürsten und Stände N. A. de a. 1524. ibi: unser Fürst un Glied des H. R. Reichs: Reform. *Friderici III. pr.* gebieten euch allen und ieden/unsern und des Reichs Unterthanen: Ordn. des Landfr. 1521. in Rubr. Handhabung: ibi: allen und ieden Obgeschriebenen / bey dem Gehorsam / den Ihr uns schuldig seyd: De *consensu Statuum* p. 196. plura.

P.195. VERBO CLEMENTIAE.) At verò hoc est captare formulas, contra *usum publicum*. Ubicunque enim de Subjectione constat, ibi

ibi ex vi *relatorum* Clementia potestatem utique notat.

NOMINE IMPERII.) At verò Imperator non est *sinè Imperio*. Jurant sc. Status, des Reichs Ehr/ Nutzen und Frommen/ zu fördern; quod non pertinet ad *Statûs*, tanquam Imperantes; & acceptio des Reichs/ pro *Statibus*, abusiva est. v. Reinking. L. 1. d. R. I. S. & E. cl. 5. c. 9. n. 15. Ipse Cæsar subscribere solet, Unserer Reiche/ des Römischen/ &c. aliquando Unsers Kaysers thums: & Feuda recognoscuntur ab *Imperatore*, non ab Imperio; saltim non à *Statibus*. Imò in *formula* quandoque planè non fit mentio Imperii: v. Eyben. in *Electis Feud. c. XI. §. 17.* & exponitur in cæteris, ut ad Cæsarem referatur, quòusque sc. Ipse *salutem totius Imperii*, suam videlicet & parentium, seu Statuum, procurat: daß ich dem Röm. Kaysers und dem Reich treu/ &c. auch nimmer in dem Rath seyn will/ da ichs was wider Jhro Kays. Majestät Person/ Ehre/ Würde und Stand gehandelt/ oder vorgenommen wird. Nec aliquis Statuum hanc intentionem habet, aut habere potest, ut se profiteatur *subjectissimum esse Constatibus* suis. Illud responsione non indiget, quod *Auctor* Imperatorem Statuum nomine *homagium* recipere inquit:

nuit: & fanè si Imperii nomine Statùs venirent, *ne quidem Cæsari*, quippe qui hoc sensu Imperii nomine & ipse continetur, homagium illud præstari, dicendum foret.

P.197. SINE QUO NIL POTEST AGERE.) Non est distinguendum inter *Potestatem & Exercitium*: nam & hoc Cæsari in solidum debetur; sed inter *exercitium & ejus modum*: Exercet videlicet Imp. Jura Majestatis; sed potiora non nisi *adhibitò consensu* Electorum & Procerum. Igitur *modus* rem ipsam præsupponit, & per alios adjuvatur: estque non *causa* quædam *Effectuum* Majestatis; sed *conditio sine quâ non*, indeque tota *necessitas* adhibitionis illius pendet: ut non magis possit imputari Effectus ille, quàm *Majestatis* est, Statibus, quàm alienatio Domini utilis Domino directo, quando citrà hujus consensum Vasallus Feudum alienare non potest. Elegans est formula Juramenti *Ferdinandi III. ap. Carpz. c. XI. sect. 10. de Lege Regia*. Est quoque distinctè consideranda Cæsaris *Potestas* ab *Officio* ejus. Potest enim Princeps officium suum arctius constringere s. constrictum tenere, ut tamen *plenitudini Potestatis* ejus nil decedat. Hinc rectè dicitur, *Capitulationes ipsam Potestatem Cæsaris non imminuere; sed*

sed *Officium* ejus, quem sc. modum in exercendô potestatem tenere, debeat, *describere*: quò pertinet: Wir sollen und wollen.

JUS BELLII.) Quantum ad *Jus Belli* atti- P.197. net, quoniam in eo *potentia* terrarum vel maximum momentum facit. Ideò peculiaris *conditio Imperii nostri* efficit, ut admittere oporteat distinctionem illam inter Subjectum *proprium & commune* Majestatis; in eum modum, quem in *Diss. de Formâ Imperii*, ad *Bæcl. Notitiam* exactiùs descripsimus.

LAMPAD.) Doctrina *Lampadii* hæc P.198. est, quòd tota *Jurisdictio*, seu redditio Juris, in Imperio *soli Casari* competat; in Juris verò *constitutionem*, quò omnia ferè Jura Majestatis refert, præterquam ea in quibus vis *Judiciaria* cernitur, *Status*, tanquam *Majestatis consortes*, admittat: quam quidem doctrinam, quoad partem *posteriolem*, deserendam esse, ex modò dictis constat: atque plenius eam in *Diss. de Superiorit. Territ.* refutavimus.

LIBER

LIBER IV.

CAP. I.

De

Causis conservantibus
& destituentibus Resp.
in genere.

CAP. II.

De

Divina providentia in
Rebus publ. conser-
vandis.

P. 200. **A** STOICA NECESSITATE.) *Ad-*
de Diff. D. Slevogtii ad Lips. Pol. de
Fato.

CAP. III.

De

Potentia.

CAP. IV.

De

Armis.

CAP.

C A P. V.

De

Viris.

C A P. VI.

De

Loco Civitatis.

C A P. VII.

De

Pecunia.

C A P. VIII.

De

Fœderibus.

C A P. IX.

De

Virtute

quat. Remp. firmat,

servat, auget.

PRIVATUM HOMINEM.) Utique P. 221.

privatum informat, ut talem, Ari-
stoteles in Ethicâ; non ut civem. Sed
tamen, ut virtutes ille ad Societatem con-
ferat,

G

ferat, tanquam *socialis*, nec ut vitam monasticam degat.

QUAM INTELLECTUALIS.) Vid. quæ ad Definitionem *Summi Boni* explicavimus. Nec tamen hæ Virtutes rem absolvunt, quæ tales sunt: siquidem *virum bonum* unicè constituunt, & tamen ad civilem seu politicam felicitatem obtinendam etiam officia boni civis requiruntur: quæ communia non sunt, ut nimirum absolvi queant virtutibus *Ethicis*, sed *propria* huic illive Reipublicæ; licet generalem *Directionem* in *Prudentia* & *Justitia* recipiant: quæ proinde hæctenus *virtutes communes* appellari possunt; eò sensu, quò *Ethica* dici solet *Pars Communis Philosophiæ Practicæ*, quæ scilicet virtutibus imbuat Patrem-familiàs Civem & Hominem quemlibet: ita ut *quevis* à Philosophia Morali *precepta virtus*, à speciali subjecto quod informat, nomen illius *Disciplinæ propriæ*, sortiri possit, & sic adeò v.g. Fortitudo *Ethica* in specie sit, quæ hominem in se perficit, *Oeconomica*, quæ patrem-familiàs, *Politica*, quæ civem: si quemlibet ad officia sua & finem pecuniarem referas. Imò *Justitia* vel unicè ad *Deum* relata hominem moraliter perficit;

ficit; ad *Familiam*, Oeconomicè; ad Ci-
vitatem (quâ ratione publica fit;) *Politi-*
ricè.

PIETATEM.) v. quò *Pietas* Christia-
nis referenda fit, in *Moralibus*, notata ad
Zapffii Tabb.

C A P. X.

De

Prudentiâ.

IDEM CUM SAPIENTIA.) Et ta. P. 222.
Imen, ut *Prudentia* Directionem & com-
plexum virtutum practicarum: ita *Sa-*
pientia Theoreticarum, constituit.

C A P. XI.

De

Virtutis efficientia,
effectuque interme-
diò, ad effectum
conservationis,
&c.

LIBER V.

CAP. I.

De

Causis Civitatem cor-
rumpentibus & de-
struentibus.

CAP. II.

De

Fortuna. &c.

CAP. III.

De

Vi.

CAP. IV.

De

Vitiis Civitatem infir-
mantibus.

CAP. V.

De

Effectu vitiorum in-
termedio.

CAP.

Ad Lib. VI. c. I. II.

101

CAP. VI.

De

Remediis Rerump.
corruptioni oppo-
nendis.

LIBER VI.

CAP. I.

De

Civium numero &
qualitate.

CAP. II.

De

Loco Civitatis.

ubi

Digressio, de Civitate
Maritimâ.

BODINUS IN OPERE NUNQUAM P. 259.
EDITO.) Cujus tamen Dispositionem
& summam refert *Dietmannus*, cui opus
illud visum est in *Diss. de Naturalismo*,
ubi

102 *Ad Lib. VI. c. III. IV. V. &c.*
ubi simul potissima ejus, quæ ad speciem
aliquam *Atheismi* ducunt, reputat.

CAP. III.

De

Partibus Civitatis.

C. IV. V. VI. VII. VIII.
& IX.

LIBER VII.

tanquam

Appendix.



RODINUS IN OPERE RUDOLPHI P. 250
RODINUS (Cognomen) Dispositionem
& summam rerum in hunc modum
illud visum est in hunc modum
ubi

NOVA
E. SOCIETATIS
NICOL. CHRISTOPH.
LYNCKERI, J.C.
L. LXIX.
D. PRO SOCIO.
SUPPL. 14.

apud Joh. Hoffmann
in



102
In nomine Amen
Cuiuslibet...

Parvulus...

Lyra VII



Var Lf 363



Vw Kie 4168


No

3058

s


Wort





B.I.G.

Farbkarte #13



3.

NIC. CHRISTOPH.
 LYNCKERI
 AD
 CITVTIONES
 POLITICAS
 NRICI BOECLERI,
notæ subitaneæ:
 QVIBVS VIA
 AD
 TIAM JVRIS PVBLICI
 CA MAGIS REDDITVR.
 JENÆ,
 d JO. BIELKIVM
 MDCCXCVI.

